Andresen, Georgius
In Taciti historias studia critica et palaeographica

Wissenschaftliche Beilage zum Jahresbericht des Askanischen Gymnasiums zu Berlin. Ostern 1899.

In Taciti Historias studia critica et palaeographica

scripsit

Georgius Andresen.

I.

Mit einer Tafel.

BERLIN 1899.
R. Gaertners Verlagsbuchhandlung
Hermann Heyfelder.

1899. Programm Nr. 50.


LIBRARY
SEP 14 1962
UNIVERSITY OF TORONTO

Cum auctumno anni 1890 Florentiam venissem, librum Mediceum 68, 1, qui Cornelii Taciti Annalium sex priores libros continet, eamque partem codicis Medicei 68, 2, quae sex posteriores eiusdem operis libros complectitur, cum editionibus Baiteri et Ritteri contuli atque ex eis, quae primus recte legisse mihi videbar, ea quae maxime digna memoratu esse videbantur, cum in patriam revertissem, ex schedis meis deprompta in eum libellum congessi, qui programmati gymnasii Ascanii Berolinensis a. 1892 adiunctus est. Dein postquam anno 1897 mihi contigit, ut bibliothecam Laurentianam, clarissimam illam sedem studiorum, iterum adire liceret, mensibus Novembri et Decembri eius anni libri Medicei 68, 2 eam partem, quae Taciti Historias continet, quam potui intentissime et diligentissime perlegi eosque locos, in quibus haeseram, identidem inspexi. Haud parva enim huius codicis et paginarum et versuum et vocabulorum pars difficillima lectu est, non tam propter ipsam scripturam — nam eis quae Langobardicae scripturae propria sunt facillime ac celerrime assuescimus; accedit quod hic codex et diligentissime et constantissime scriptus est — sed quia aut pallore atramenti aut vetustate situs aut utroque vitio forma litterarum obscurata est. In eo opere cum versarer, brevi intellexi, quantum post Baiterum et Ritterum ad scripturas huius praestantissimi codicis accuratius cognoscendas profectum esset Caroli Meiseri labore, qui, cum codicem ipsum denuo inspexisset, editionem Historiarum novo apparatu critico instructam confecit et anno 1895 absolvit. Ac tamen vir doctus idem ac diligens, ut fit fere in talibus rebus — nam mihi quoque in opere meo nonnumquam accidisse fateor, ut, cum iterum in aliquem locum incidissem, cernerem, quod primo aspectu me non vidisse mirarer — pauca quaedam mihi indaganda reliquit, quae quominus inveniret, aut difficultate legendi prohibitus est aut propterea non vidit, quod vel certarum quarundam legum hic illic immemor erat, quibus is qui hunc codicem scripsit constantissime paruit, vel correctionem subesse non animadvertebat vel de auctore correctionis, ut mihi quidem videtur, prave iudicabat. Sic fit ut nunc cum alia corrigere tum paucis quibusdam incredibilibus vitiis, quae adhuc temeritati librarii huius codicis tributa sunt, memoriam hominis ut latini sermonis parum periti, ita non ultra communem imbecillitatem humanam infirmi et qui egregiam fidem suam multis exemplis testatus sit, purgare possim. In omni autem disputatione genera vitiorum, quae quamvis multa sint ac varia, tamen suos fines suasque rationes plerumque facile conspicuas habere videntur, diligenter inter se distinxi, ut scirent viri docti, quorum exemplorum similitudine freti ad ea vitia, quae adhuc plurima et gravissima supersunt, probabiliter emendanda aggredi

possent. Quamquam multa ex eis ita comparata sunt, ut spes emendandi fere nulla sit. Sed iam retento ordine librorum ad singula veniamus.

I 2, 7 (Halm) *mota prope etiam Parthorum arma falsi Neronis ludibrio.* Sic pleraeque editiones; at Halm Wolff Prammer inverso ordine *etiam prope.* In Mediceo Baiter et Ritter adfirmant scriptum esse *etiam prope etiam*; idem Halm et Meiser dicunt; addit tamen ille: corrigendo in ipso codice effectum esse *etiam prope,* hic: prius *etiam* manu recentiore leviter inductum videri. In tanta diversitate testimoniorum quid verum sit quaerentibus certa tandem responderi opus est. Et Halmium quidem errasse, cum posterius *etiam* in codice deletum esse diceret, per se ipsum veri simile est, quoniam Meiser, gravior auctor, prius *etiam* 'leviter inductum', posterius integrum esse testatur. At ne Meiser quidem verum vidit. Nam quod prius *etiam* manu recentiore e textu remotum esse videri dixit, in eo erravit. Sublatum enim est ab eo ipso, qui Mediceum exaravit. Huius rei certissimum argumentum in promptu est. Prius enim *etiam* deletum est duabus lineolis obliquis superne adpositis, quarum una ad litteram *e,* altera cum tangat litteram *a,* ad litteram *ti* uno ductu scriptam, ut solet scribi ante vocalem, pertinet (vide tabulam huic libello adnexam No. 1), qua quidem ratione delendi librarius sescenties usus est, id quod Meiser ipse testatur, velut (ut intra primi libri fines nos contineamus) 77, 1, ubi haec dicit: '*distractis ciu*] librarius in praecedens voc. *civitates* aberravisse videtur et ipse has litteras delevit', verissime ille quidem, nisi quod duae res addendae sunt, primum: non modo *ciu,* sed *ciui* scriptum esse, deinde: eas litteras a librario lineola superne adiecta esse deletas; et 80, 9, ubi *et* ante *centurionesque* prima manu deletum esse dicit, quod quidem librarius eisdem illis lineolis obliquis similiter adiectis effecit. Itaque quoniam his tribus locis, de quibus dixi, illarum lineolarum plane idem est aspectus eademque figura, nihil est cur de origine earum diversa iudicemus. Idem librarius singulas litteras multis primi libri, sicut reliquorum librorum, locis per errorem scriptas eisdem illis lineolis delevit; idque in maiore parte locorum recte adnotavit Meiser. Velut in exitu vocabulorum notam litterae *m* delevit librarius: I 13, 14 *principalem,* 18, 6 *imperatoriam,* 19, 6 *pisonem,* 32, 5 *diem,* 42, 3 *othonem,* 43, 1 *illam,* 44, 5 *imaginem,* 44, 12 *illam diem,* 49, 19 *consensum,* 50, 15 *cęsarem,* 50, 16 *othonem,* 51, 15 *acerrimam,* 52, 18 *secuturam,* 53, 3 *galbam,* 63, 5 *cupidinem* et *furorem,* 64, 11 *animadversionem,* 68, 10 *cohortem,* 68, 16 *cęcinam,* 79, 10 *dictum,* 82, 7 *neminem* (nam sequitur *munum*), 85, 14 *senatum*; atque idem notam litterae *m,* addita littera *s*: 46, 13 *quęstum,* 51, 12 *rursum* (igitur perperam Halm aliique *rursum*); et litteram *s*: 48, 16 *dies,* 52, 5 *adsignandis* (nam sequitur *suę*), 81, 11 *frequentias,* 83, 26 *tribunis*; eandemque litteram, addita nota litterae *m*: 50, 4 *exercitus* (falso igitur Halm Ritterum secutus *exercitus*), 57, 10 *pecunias,* 64, 20 *ignarus,* 80, 13 *cupidus,* 84, 13 *senatus*; et litteram *a*: 80, 6 *oneraria*; idemque litteras *p, n* (priorem), *i* delevit: 32, 5 *p postulaturis,* 56, 4 *duoetvincensimae,* 64, 6 *excepiti,* ac lineolam litterae *p* impositam: 36, 9 *p̄ressare*; et *a* mutavit in *o* delendo posteriorem partem eius litterae: 57, 11 *colaniarum.*

Haec omnia recte, ut supra diximus, adnotavit Meiser. Eo magis mirum est, quod quibusdam locis illas lineolas, quibus singulae litterae delentur, manu posteriore potius quam ab ipso librario errore perspecto adiectas esse arbitratur. Nam notam litterae *m* manu recentiore deletam esse dicit: 15, 22 *praecipuam,* 21, 6 *rursūs,* cuius correctionis prorsus idem aspectus est atque 51, 12 (unde inconstantiae crimen non minus adhaeret Meisero, qui alteram correctionem manu recentiore, alteram a librario ipso effectam esse dicit, quam Halmio, qui 21, 6 *rursus,* 51, 12

rursum in textu posuit), 25, 3 *eorūndem*; idemque adfirmat de littera *s* finali: 3, 1 *steriles*, 20, 8 *exactionis*, 27, 5 *interpretantes*, 79, 2 *rhosolanis*, de littera *o* finali: 57, 10 *corporeo*, 12, 4 *arbitrio*, in quo vocabulo et *o* obliqua lineola delevit et *um* superscripsit librarius ipse. Tum in vocabulis *legiones* 6, 9, *consularis* 9, 5, *principis* 31, 15 non modo erasa est littera *s* finalis, ut ait Meiser, sed etiam ab ipso librario erasa, cui rei argumento sunt ipsae illae lineolae obliquae erasis litteris additae. Eadem passa est littera *a*: 38, 2 *aab exilio*, 16, 24 *quid a* (hic est finis versus) *aut volueris*, quo loco de manu recentiore cogitari ipse correctionis aspectus reliquorum exemplorum simillimus vetat. Eodem pertinent hi loci: 5, 12 *a* (hic est finis versus) *aspernantes*, ubi abundantem litteram deletam esse idque factum esse ab ipso librario, qui lineolam addidit, non dicit Meiser, 11, 4 *superstitionem u* (hic est finis versus) *ac*, ubi ille non modo de littera *m* deleta, verum etiam de littera *a* et posita et deleta tacet, 66, 14 *allobrogum a* (hic est finis versus) *ac*, ubi litterae *a* eandem illam obliquam lineolam a librario appositam adhaerere non vidit[1]). Eandem lineolam Meiser non vidit in exitu vocabulorum *libertatem* 4, 10 et *nocuisset* 21, 8.

Haec igitur omnia vitia librarius ipse eadem ratione delendi usus sustulit. Et quia exceptis paucis quibusdam locis, de quibus separatim agendum erit, ea quae librarius ipse in scribendo codice correxit, religiosissime tenenda sunt, quoniam ipsius Taciti manum produnt, eo unde digressi sumus loco (2, 7) scribendum est *prope etiam*, non *etiam prope*, id quod confirmat ipsa sententia; nam *prope* pertinet ad *mota*, quod antecedit, *etiam* ad *Dacorum*, quod sequitur, sicut *et* III 46, 4 *mota et Dacorum gens*. Nec vero audiemus Voelkerum, qui I 20, 8, quem locum supra attulimus, *exactionibus* scribi iussit, quam coniecturam etsi Halm dignam mentione censuit, ipsius librarii correctioni, qua Taciti manus continetur, posthabendam esse arbitramur. Postremo illius erroris, quo captus librarius, cum scribendum esset *prope etiam*, scripsit *etiam prope etiam*, etiam alia sunt eaque simillima in eodem codice exempla. Nam II 76, 5, quem locum iam ante me Heraeus et Valmaggi contulerunt, librarius, cum scribendum esset *aut certe non*, scripsit *aut non certe non*, et III 69, 17 pro duobus vocabulis *tradere haud* scripsit tria *aut tradere haud*, neutro loco perspecto errore. Adde Ann. XI 9, 8 *quam atrociorem quam*, cum scribendum esset *atrociorem quam* (etsi sunt qui *quamquam atrociorem quam* praeferant) et XII 29, 7 *certantibus barbaris certantibus*, ubi plerique *certantibus barbaris* scribunt. Ac sicut his locis omnibus excepto fortasse eo qui est Ann. XII 29, 7, ex ternis vocabulis id quod primum locum obtinet, errore a librario praeceptum ac nobis textu pellendum esse apparet, ita etiam H. I 2, 7 prius potius quam posterius *etiam* praeeunte ipso librario hoc loco erroris sibi conscio tollendum est.

I 18, 14 *tumquam usurpatam etiam in pace donativi necessitatem bello perdidissent*. Ibi Meiser (nam Baiter et Ritter de codicis scriptura nihil proferunt) non *etiam*, sed *et etiam* in codice scriptum idque ab ipso librario correctum esse monet. Quod quidem fieri vix potuit nisi ita ut *et* deleretur. Unde si quis ea quae ante correctionem scripta fuerunt, pluris aestimaverit quam ipsam correctionem (qua opinione, quamvis falsa sit, multi tamen facile implicantur), poterit conicere, non *et*, sed *etiam* esse delendum ac Tacitum scripsisse *usurpatam et in pace donativi necessitatem*. Id ne quis suspicetur, monendum est, librarium hoc loco non *et etiam* mutasse in *etiam*, ut ait Meiser, sed *et iam* in *etiam*. Idque ita fecit, ut ex vocabulo *et* litteram *t* lineola

[1]) Cf. Ann. XII 35, 2 *additum a vallum*, 42, 15 *a accusatione*, 48, 12 *a abstraheret*, quibus locis litteram *a* librarius aut lineola delevit aut extinxit, 38, 13 *a ad subsidium*, ubi in fine versus eam litteram tollendam esse eum fugit.

obliqua tolleret et *I* mutaret in *ti* (v. tab. No. 2), quod, sicut iam supra diximus, ante vocalem uno ductu scribitur. In eodem codice *et Iam* scriptum est pro *etiam*: I 12, 12 *et Iam Intiti vinio dium* (i. e. *etiam in Titi Vini odium*), II 27, 17 *e* (haec littera paene extincta est) *et Iam perfidiam* (i. e. *etiam perfidiam*); neutro tamen loco librarius errasse se sensit. Idem vitium reperio Ann. XIV 37, 7 *et Iam iumenta*; contrarium (*etiam*, cum scribendum esset *et iam*) XI 34, 8 *etiam erat in aspectu*, XIII 19, 16 *etiam perio* (Halm recte *et iam imperio*), XIV 7, 3 *etiam Iamque*.

Parva sunt et exigui momenti, quae de hoc loco protuli: at primum in tam egregio codice ne minima quidem neglegenda esse duxi, deinde cavendum, ne quis ex scripturis haud accurate adhuc relatis falsas opiniones hauriret aut inutiles coniecturas fingeret, quae nec ipsi laudem et aliis molestiam adferrent.

Ceterum hic locus, in quo librarius *et Iam* scripsit pro *etiam*, me monet, ut pauca addam primum de falsis divisionibus syllabarum (de quibus breviter iam Ritter disseruit praef. p. XXVIIII), quae et frequentes sunt in hoc codice et egregiam fidem librarii testantur, qui ut multis locis syllabas perperam aut separavit aut coniunxit, ita nihil aut addidit aut sustulit aut mutavit; deinde de usu litterae *ti*, qui, modo intra eiusdem vocabuli terminos vocalis sequatur, certa lege tenetur ac ne uno quidem loco neglegitur. Ac primum quidem in exitu versuum librarius nonnumquam vocabula mirabiliter divisit, cuius rei pauca exempla affero, quae nisi a me prolata erunt, vereor ne oblivione obruantur; nam apud Meiserum pleraque non reperiuntur. I 1, 20 librarius in fine versus scripsit *qua*, in initio novi versus *esentias* (cum scribendum esset *quae sentias*); recentior manus in fine prioris versus addidit *e*, illud *e* autem, a quo novus versus incipit, puncto et supra et infra posito sustulit (cf. Ann. XV 23, 11 *qua efluxa*, i. e. *quae fluxa*). II 32, 6 librarius cum in exemplari suo invenisset *deserere rheni*, in exitu versus scripsit *desererer*, in initio novi versus *heni*. III 30, 7 vocabulum *amoenissimis* ita in duos versus distribuit, ut in exitu prioris scriberet *amo*, in initio novi versus *enissimis*; ac similiter III 46, 5 *emo-esia* scripsit (i. e. *e Moesia*); cf. *Soho-emo* Ann. XIII 7, 7. *pro* (hoc per compendium scriptum) *elium* II. I 68, 4, quod vocabulum *plium* aut *prælium* scribi solet (*prorelium* scriptum est II. III 79, 5; *profilio* Ann. III 21, 8). Adde egregium fidei exemplum II. I 25, 12 *militi ẽtrebantur* (i. e. *militiae terrebantur*), quod etiam Meiser attulit (cf. Ritteri praef. p. XXVIIII). Superscripsit vir doctus aliquis, quem vera ratio legendi fugiebat, *exterrebantur*. Ceterum librarius hoc loco si recte syllabas divisisset, litteras *ti*, quas, ut in fine vocabuli, inter se separavit, uno ductu significasset, de qua re paullo infra disputabimus.

Saepe librarius nescius sententiae singula aut bina vocabula ita aut coniunxit aut divisit, ut singula aut bina aut terna alia vocabula existerent. Ex hoc falsarum divisionum genere memoria haud indigno pleraque exempla Meiser attulit haec. Librarius

cum scribendum esset:	scripsit:
I 18, 12 *addit aut*	*addita ut*
(cf. Ann. I 62, 4 *in hostem ira*	*in hoste mira*)
II 8, 6 *similitudinem oris*	*similitudine moris*
(cf. Ann. III 57, 10 *infamia usurus*	*infami ausurus*)
II 21, 9 *moles tam*	*molestam*
II 26, 16 *adverso rumore*	*adversorum ore*
(cf. IV 54, 6 *volgato rumore*	*volgatorum more*
Ann. XV 46, 3 *mala rumoribus*	*malarum oribus*

Ann. XIV 4, 4 *quo rumorem*	*quorum morem*
„ II 77, 11 *primo rumore*	*primorum ore*)
II 47, 14 *set este*	*se teste*
II 76, 33 *domitor externi*	*domito rex terni*
II 90, 6 *adulationes edoctum*	*adulatione se doctum*
II 91, 9 *popularia si a*	*populari asya*
(cf. IV 53, 11 *lustrata suovetaurilibus*	*lustratas bovetaurilibus*)
III 31, 12 *tumentemque*	*tu mentemque*
III 73, 15 *suamet*	*suam et*
IV 2, 10 *intra Bovillas*	*intrabo villas*
(cf. Ann. I 7, 6 *Seius Strabo*	*selustrabo*)
IV 18, 4 *dissimulationem aluit* (sic scripserat librarius)	*dissimulatione maluit* (sic correxit)
IV 45, 5 *praesenti sibi*	*praesentis ibi*
IV 84, 7 *destinata deo*	*destinat adeo*
V 22, 19 *luce revecti*	*lucere vecti*

quibus haec addo simillima exempla:

II 46, 7 *quodam et*	*quod amet*
II 47, 11 *nemo tam*	*ne motam*
(cf. Ann. II 9, 7 *qui amotis*	*quia motis*)
III 55, 8 *comitia quibus*	*comiti aquibus*
III 72, 6 *arserat*	*ars erat*
IV 1, 16 *acres*	*ac res*
IV 18, 9 *Ubios*	*ubi os*

et unum ex Annalibus:

XIV 49, 11 *se qui severitatem*	*sequi se veritatem.*

Idem tamen librarius si quando in divisione syllabarum errasse se sensit, studiosissime veram divisionem restituit. Velut III 47, 19, cum in eo esset, ut ex duobus vocabulis *vel illinc* unum faceret ac iam *velj* scripsisset, ea forma litterae *i* usus, qua post *l* uti solet (de qua re infra disputabo), viso errore *j* duabus lineolis delevit et *illinc* apto spatio intermisso addidit (cf. Ann. XII 29, 12 *visi innumera*, ubi librarius *i* post *s*, et XII 54, 10 *contemptur regentium*, ubi *r* post *u* scribi coeptum sustulit, et XVI 7, 9, ubi in confinio vocabulorum *inter imagines* rasura conspicitur, cuius forma docet coepisse eum scribere *interim*). De aliis huius generis exemplis Meiser aut tacuit aut parum accurate tradidit. I 4, 14 cum scripsisset *suetasi* (non *suetas*, ut ait Meiser, quamquam litteram *i* non totam exscripsit), nimirum *suetasimul* continuo litterarum ordine scripturus, in scribenda littera *i* substitit et utramque litteram erasit. I 77, 16 cum *cadior* scripsisset, ita tamen, ut litteram *r* tantum inchoaret, hanc litteram lineola delevit ac spatio intermisso addidit *rufo*. II 60, 5 post *tristi* extincta est hasta. Eam primam hastam litterae *m* fuisse suspicor: scilicet librarius *tristimora* scripturus erat. III 60, 12 cum *pulcher* scripsisset ea forma litterae *r* usus, quae in exitu vocabulorum sollemnis est, quasi sequeretur aliud vocabulum *rimam*, formam litterae *r* mutavit in eam, quam in initio vocabulorum aut in mediis vocabulis ponere solet; ac similiter IV 8, 4 cum scripsisset *curantiquitus* (de dativo participii *curanti*, nisi

fallor, cogitans), litteram *r* duabus lineolis delevit atque eiusdem litterae eam formam superscripsit, qua vocabula clauduntur (v. tab. No. 3). II 26, 11 Meiser scriptum esse *cūū* dicit idque ab ipso librario correctum esse in *cum*. Genus vitii accuratius explicandum est. Librarius postquam scripsit *delericū*, ubi ex duobus vocabulis se unum effecisse sensit, litteram *c* ac notam litterae *m* una lineola, altera priorem hastam litterae *u* sustulit, dein posteriori eiusdem litterae hastae imposuit *c* addiditque *ū*. Similiter II 40, 9 cum scripsisset *numidac*; extremam litteram lineola delevit addiditque *cum*. III 5, 2 haec est Meiseri adnotatio in apparatu critico: '*nimocū exercitū* (notam del. 2 m.) *moesico*. Non vidit vir doctissimus primum notam illam ab ipso librario deletam esse, deinde eundem inter utrumque vocabulum (*exercitu* et *moesico*) et scripsisse *m* et extinxisse, postremo in initio vocabuli *moesico* duas priores hastas litterae *m* esse in rasura ac sub ea latere litteras *oe*. Itaque librarius primo scripsit *exercitū oe*, mox cum prave se divisisse vidisset, notam litterae *m* delevit et *m* superscripsit, postremo ne id quidem satis esse existimans et *m*, quod modo scripserat, et *oe* extinxit et in loco litterarum *oe* posuit *m*, cui adiunxit *oesico*. III 83, 8 librarius cum scripsisset *cruoret et strues*, ut recte adnotavit Meiser, non super *ret* scripsit *r*, ut ait idem, quasi ea re Taciti manus restituta esset, sed *r*, cuius ea forma est, quae in mediis vocabulis esse solet, duabus lineolis delevit eamque *r* litterae formam recte superscripsit, qua vocabula clauduntur, *et* autem utrumque — et in eo quidem erravit — integrum reliquit. Haec de divisionibus syllabarum sufficiant.

Nunc de littera *ti* dicendum est, cuius usum, modo intra eiusdem vocabuli fines vocalis sequeretur, certissima lege teneri diximus. Unum locum novi, quo librarius illam legem possit videri laesisse. Nam II 77, 15 in vocabulo *tumescentia*, quasi aut consonans aut nihil sequeretur, *ti* duabus litteris scripsit; at statim peccasse se sensit et in margine sinistro addidit *tia* solito more scriptum. Eiusdem generis est alius locus I 4, 10 multo etiam dignior memoratu. Ibi enim librarius, cum scribendum esset *laeti usurpata*, scripsit *letius usurpatam* idque ita ut *ti* duabus litteris significaret. In quo cum errasse se sensisset, in margine addidit *tius* ita scriptum, ut lex illa scribi iubet (v. tab. No. 4). At ipso errore illo commisso partem veri retinuit; nam in vocabulo *laeti*, quod praeceptis duabus primis sequentis vocabuli litteris auxit, *ti* duabus litteris significandum fuit. V 12, 16 scripsit *frumentiam busta*, ut recte adnotat Meiser (cum deberet *frumenti ambusta*) syllabam *ti* una littera significans, ac similiter IV 76, 18 *inperitia* (sequi videtur *d*); itaque parum accurate Meiser in apparatu critico '*Inperiti ad* . . .'; rursus III 55, 8 in vocabulis *comiti aquibus* (quae supra iam attuli), quia syllabas falso divisit, syllabae *ti* duas litteras dedit. IV 58, 37 cum *Innocens* scripsisset, *s* mutavit in *ti*, non in *t*, ut ait Meiser, et *am* addidit. Nec I 30, 23 *Innocentiibus*, ut ait idem, scripsit, sed cum scripsisset *Innocenti* idque ita quasi vocalis sequeretur, viso errore *ti* mutavit in *t* et *ibus* addidit. Ac si librarius I 79, 9 scripsisset *pertiicitate*, id quod Meiser affirmat, syllabam *ti* sine dubio uno ductu scripsisset; nam vocalis sequitur. At sic res se habet: cum *perti* scripsisset (de verbo pertinendi cogitavit, opinor), syllabam *ti* duabus litteris significans, sensit errorem. Itaque *ti* mutavit in *n*, quod effecit ex dextra parte litterae *t* (nam sinistram integram reliquit) et littera *i*, cuius inferiorem partem transversa lineola delevit, ac tum demum adiunxit *icitate*. Postremo confirmandae scripturae causa in margine adscripsit *perni*; nam de manu recentiore hoc loco nec in textu nec in margine cogitandum est. Nec vero III 31, 10 *etīa* scripsit (sic Meiser), sed *etia*. II 93, 9 apud Meiserum legimus: '*militię* ex *militia* corr. 1 m.' Non ex *militia*, sed ex *milita*; neque enim tantum *a* in *ę*,

sed etiam *t* mutavit in *ti*. Sed ne quis inde suspicetur Tacitum scripsisse *ordo militaris*! Postremo IV 25, 4 Meiser a vero longe aberravit. Dicit enim in codice scriptum esse *amagontito* idque librarii manu correctum esse in *amagontiaco*. Hoc verum, illud falsum. Nam litterae *ti* uno ductu scriptae, sicut hoc loco scripta est, nullus locus est sequente consonanti. Nec sequitur consonans, sed vocalis ę, quae sub littera c plane apparet; hanc enim litterae ę imposuit et superscripta *a* adiunxit *o*. Itaque sic scribendum est in apparatu critico: '*amagontię* (*amagontiaco* corr. 1 m.)'. Etiam aliis locis librarius in scribendo nomine huius urbis, nec solum in prima syllaba, sed etiam in exitu, lapsus est. Nam IV 59, 15 cum scripsisset *mogontian*, ut videtur (fortasse *mogontiam* scripturus erat), non solum priorem partem litterae *n* in *c* mutavit, ut altera esset pro *i*, verum etiam *ci* superscripsit et in dextro margine insuper adscripsit *ci*, sicut III 11, 2 *et* triplici mutatione correxit in *eo*. Ne in Annalium quidem parte posteriore ullus est locus, qui legi illi, qua tenetur scriptura litterarum *ti*, refragetur. Nam quod XI 23, 16 in voc. *recentia* littera *ti* duabus litteris scripta est, et rasura, quae litteris *ti* subest, et ipsa litterarum *t* et *a* forma manum posteriorem produnt. XIII 6, 3 librarius *potius* scripsit, cum deberet *potitus* (idem error in primo Mediceo occurrit I 33, 7). Superscripsit *t* manus posterior, quam coarguit figura eius litterae, quam si librarius ipse posuisset, ne *ti* quidem litteram integram reliquisset. XIII 21, 20 *potentię* scripsit; debebat *potiente*. Correctionis partem ipse fecit; nam et virgulam ultimae litterae adnexam et litteram *ti* extinxit et superscripsit *t*; quod reliquum erat, ut *t* post *o* mutaret in *ti*, manus posterior fecit, quae superscripsit *i*. XV 11, 10 in vocabulo *obuiti* ante *ti* rasura est, ex cuius forma satis probabiliter conicitur librarium litteras *ti* uno ductu scribere coepisse, ratus scilicet vocalem, quae sequitur (*adversis*) eiusdem vocabuli esse. Sed haec hactenus.

I 20, 13 nomen Antonii Tauri, tribuni praetoriae cohortis, in codice adhuc incertum est. Nam Meiseri haec est adnotatio: '*taurus*, sed syll. *rus* incerta; videtur potius fuisse *rcus* (ed. princeps *Thaurius*)'. De *s* et *u* nulla est dubitatio; inter *r* et *u* esse aliquid fateor, quod litterae *c* simile sit. At quis librarium, cum scribere deberet *Taurus* (nam id nomen tribuno fuisse facile omnes concedent), scripsisse *Taurcus* credit? Habet enim etiam librariorum licentia leges quasdam ac terminos. At multi sunt similes in hoc codice litterarum ductus tales qualis hic est in syllaba *rus*, quos qui comparaverit intelleget et hoc loco et ceteris similibus correctionem subesse. Nam librarius scripserat *o* idque ita mutavit in *u*, ut sinistram partem litterae *o* integram relinqueret, quam quidem Meiser hoc loco putavit esse *c* (v. tab. No. 5). Itaque librarius fortasse inductus sono nominis Antonii Nasonis, quod sequitur, scripsit *Antonius Tauros*, sicut *toleraturos* I 33, 8, *defuturos* IV 85, 15, *Valerios* III 43, 1, *gregarios* III 51, 2, *praevectos* V 16, 16 (ubi praecedit *dicaturos*) et corrigendo *o* in *u* eandem figuram effecit eandemque speciem legentibus praebuit, quam eadem correctio praebet in his vocabulis: I 48, 17 *onnium* (i. e. *omnium*; in quo vocabulo *o* in *u* ante *m* prima manus, non secunda *n* post *o* in *m* correxit, id quod Meiser credi patitur vel potius iubet), 67, 6 *stipendium*, III 12, 15 *praesidium* (praecedit *Vivennio Rufino*), 36, 14 *locum* (praecedit *substituto*, sequitur *Alfeno Varo*), 69, 14 *praelium* (sequitur *inproviso*), 69, 21 *bellum*, 80, 5 *senatu*, IV 7, 1 *studiu(o)m*, 13, 13 *Vespanum* (sequitur *animo*), 20, 15 *cumu(o)latę*, 57, 9 *sacrovirum*; quibus exemplis haec nova adde: I 6, 10 *exercitu* (sequitur *insolito*), 21, 2 *consilium* (praecedit *in turbido*), 77, 7 *delenimentum* (praecedit *Germanico*), II 100, 3 *quattuor* (scilicet *quattor* scripturus erat), III 5, 9 *obsequium*, 20, 11 *intrandum*, IV 37, 11 *obsidium*, 69, 13 (*fu*)*futu*(*o*)*rorum* (nimirum *futorum* scripturus erat). His comparatis apparet, cuius generis sit difficultas legendi,

quam priores I 20, 13 non solverunt, nec iam ullum scrupulum de Antonii Tauri vero nomine codicis testimonium movebit.

Sequitur uno versu post (I 20, 14) locus mira passus ac mihi nec minus eis qui haec legent, ut spero, insignis. In plerisque hodie editionibus legitur *e vigilibus Iulius Fronto*, ex coniectura, ut aiunt, Meiseri; quidam tamen editorum (Baiter, Ritter, Nipperdey, Corradi, Gantrelle, Wolff) *e vigiliis Iulius Fronto* scribunt, id quod Beroaldus coniecit. Et Meiserus quidem ipse, cuius emendationem plerique probaverunt, haec verissime dicit in commentario: '*e vigilibus* scripsi pro Beroaldi *vigiliis*, quia Tacitus nusquam cohortes vigilum vigilias dicit (sed vigiles). Iam videamus, quid adhuc in codice lectum sit. Alii *euigilius* legerunt, alii *euigiliis* (sic Baiter et Ritter), alii *euigililis*, id quod etiam Meiser, ultimus auctor, dispicere sibi visus est[1]). Addit tamen litteram *s* manu recentiore deletam esse. Idem in Fleckeiseni Annalibus 1882 p. 139 dicit, nisi quod haec adiungit: 'im Med. scheint der Verbesserer nur halb corrigiert zu haben: er strich das *s* und wollte *li* als *b* gelesen haben (*euigilib*; = *euigilibus*)'. Haec cum scriberet, propius ad verum accessit quam quisquam priorum; nec tamen recte legit quae codex praebet. Nam primum, sicut multis aliis locis, quos supra congessimus, in eo erravit, quod litteram *s*, cui lineola obliqua a dextra parte ad sinistram superne adiecta est, a correctore potius quam ab ipso librario deletam esse existimavit, de cuius manu propterea nulla dubitatio est, quod eadem ratione delendi hoc loco usus est, qua uti solet. Deinde in eo lapsus est, quod ante *s* legit *li*, quae litterae nusquam in hoc codice *li* scribuntur, sed *lj*, id quod hoc ipsum vocabulum docet, in quo post *gj* scribitur *lj*, non *li*[2]). Postremo non vidit etiam inferiori parti litterae *s* adiunctam esse lineolam, et curvatam illam quidem et obliquam, a dextra ad sinistram vergentem. Haec lineola cum ipsa quoque librarii manum referat, inferior pars est notae ; (i. e. *us*), cuius ne superior quidem pars deest, mediae litterae *s* imposita. Antecedit autem *b* ex littera *u* a librario correcta, qui priorem illius litterae hastam in superiorem partem extendit et coniuncta utraque hasta litteram superne clausit. Itaque librarius postquam *euigilius* scripsit, corrigendo effecit *euigilib;* (i. e. *e vigilibus*) idque ipsum codex confirmat, quod Meiser, cum recte legere nescivisset, coniectura adeptus est. Res admodum mira ac tamen certa. Nobis hic quoque locus argumento est priores interdum cum nec correctionem subesse viderent nec leges scribendi tenerent, quas is qui hunc codicem confecit religiosissime observavit, falsa legisse ac posteris tradidisse. Iam cum sciamus,

---

[1]) Haec scriptura *euigililis*, quae per se ipsa peritissimi cuiusque suspicionem movet atque etiam credulorum fidem superat, eos, qui libellum meum De codicibus Mediceis Annalium Taciti legerunt, quem a. 1892 edidi, commonefaciet eorum, quae p. 6 eius libelli de loco simillimo Ann. VI 37, 20 exposui, ubi, cum scribendum esset *Vitellius*, scriptum esse in codice *Vitellelis* dicunt.

[2]) Huic legi, quae non modo post *l*, sed etiam post *g*, *t*, *e* brevem *i* scribi vetat (v. tab. No. 6), unus locus repugnat; immo vero ne unus quidem. Nam II 11, 4 pro *intervallis* primo obtutu in codice scriptum esse *interliallis* (brevi littera *i* post *rl*) videtur. At vera ratio haec est: librarius cum ad finem vocabuli praeproperans scripsisset *Interl*, hastam litterae *i* similem addidit, quae coniuncta cum littera *l* esset pro *u*; superiorem autem litterae *l* partem delere supersedit. Similiter I 51, 5 in voc. *toleraverant* post *tolera* scripsit *l* (sive *b* scribere coepit, quae est Meiseri opinio, sive syllabas *lera* iteraturus fuit); mox hastam litterae *i* similem addidit, quae una cum littera *l* efficeret *u*. Ne hoc quidem loco litterae *l* longitudinem imminuit. Similis eiusdem litterae *u* forma est in nomine Octaviae Ann. XIII 16, 18; quod autem XI 6, 10 scriptum est *gali* (scribendum fuit *Gaii*) et XII 41, 10 *puerili* per breviorem litterae *i* (post *l*) formam, in priore exemplo, etsi rasura subest, ipsum illud vitium pro vestigio veri haberi potest; in posteriore *i* in fine versus scripsit manus posterior. XIII 4, 4 scriptum est *discordijs*, quod recentioris saeculi manum prodit.

quid Tacitus scripserit, quod adhuc tantum veri simile fuit, Halmii coniecturam *e vigilum* (sc. *cohortibus*) aequo animo abiciemus.

Postremo operae pretium est quaerere, qui factum sit, ut librarius *euigilius* scriberet, cum in exemplari suo invenisset *euigilibus*. Mihi, si modo de ea re aliquid suspicari aut licet aut opus est, simili sono nominis Virgilii, poetae clarissimi, inductus esse videtur. Neque enim solum Verginium (Capitonem) bis Vergilium appellavit (III 77, 1. IV 3, 9), sed etiam plus semel ex nominibus appellativis nomina propria fecit. I 50, 12 pro *cladium* scripsit *claudium* (eundem errorem is qui codicem Florentinum 68, 4 scripsit I 86, 19 commisit, et in utroque codice Florentino I 87, 5 *caesarum* scriptum est pro *caesorum*), pro *iurgium* II 53, 1 *uirgenium* (nam Verginii nomen in cap. 51 bis scripserat idque in memoria eius haerebat). Fortasse etiam cum *adsideres epulję* III 35, 1 scriberet pro *adsidere sepultae*, de Apulia cogitavit, et cum *ceres* scriberet V 15, 9 pro *caedes*, de nomine Petilii Cerialis, quod c. 14 scripserat. Ex Annalibus duo addo exempla: XI 16, 6 praecedente nomine Caesaris, cum scribendum esset *auctum*, librarius scripsit *augustus*; XII 63, 8, ubi Tacitum *inmensa Pontum* scripsisse Ruperti vidit, *Inmetapontum*.

I 26, 4 *postero iduum die*. Sic Meiser, qui baec adnotat: '*Iduū dierū*, sed *dierum* incertum est, cum praeter litteras *d* et *ū* vix quidquam dignosci possit; ceterum syll. *rum* aut totum vocabulum *dierum* lineola transversa inductum fuisse videtur'; ac similia in Fleckeiseni Annalibus 1882 p. 137. Mihi hunc locum vetusto situ illitum ac difficillimum lectu pleniore luce (qua antea ei qui legendis libris manu scriptis in bibliotheca Laurentiana operam dabant, obscuriore loco inter ipsos codices clausi, carebant) identidem acriter inspicienti librarii manus ita apparuit, ut pro certo adfirmare possim scripsisse eum *Iduū dierū*, neque ullam harum litterarum esse dubiam ac syllabam *rum*, non totum vocabulum *dierum*, ab ipso librario esse deletam, nec vero una linea transversa, sed tribus lineolis obliquis, quarum unam litterae *r*, secundam litterae *u*, tertiam notae litterae *m* apposuit. Itaque quod adhuc veri simile fuit, iam certum est, scriptum esse in codice *postero Iduum dierum* ac tertii vocabuli extremam syllabam ab eo qui scripsit librum esse sublatam, qua correctione ipsius Taciti manum restitutam esse a me doceri opus non est, quoniam Meiser in commentario nec nominis mensis inserendi (nam Pichena *postero iduum Ianuariarum die* coniecit idque et Halm et alii probaverunt) ullam necessitatem esse egregie docuit et genetivi cum adiectivo *posterus* coniuncti usum luculentis exemplis illustravit. Iam Hirschfeldii coniecturae (Herm. VIII p. 474): *postero Iduum die ebrium redeuntem* fundamentum subtractum est.

Error autem ille, quem librarius et commisit et correxit, ex genere usitatissimo est; nam sescenties extremam partem vocabuli terminationi praecedentis vocabuli adaequavit. Pauca exempla hic sufficiant: I 18, 1 *quartum Idum Ianuarias* scripsit et correxit, 41, 2 *comitatae galbae cohortis* (*Galbam* Rhenanus), 42, 7 *Iulio Cario* (*Caro* Rhenanus; cf. Ann. XV 49, 4 *Subrium Flavium*; *Flavum* Bekker), 64, 20 *Fabius ignarus* (*ignarum* librarius ipse), 80, 14 *resistentem seditionem* (*seditioni*), II 66, 18 *relictis passim ignibus Taurinae colonibus* (*coloniae* corr. ipse), III 38, 24 *laetitia maestitia* (*maestam* corr. ipse, non *maesttam*, ut ait Meiser; nam quod inter *t* et *a* conspicitur, reliquiae sunt prioris litterae *j* ab inferiore parte extinctae, quae reliquiae possunt videri et ipsae tenui lineola deletae esse), IV 49, 28 *ad caedem proconsulem* (*proconsulis* ipse), quibus haec nova addo: I 33, 7 *limine tenus domus claudit* (*domum* ipse), II 19, 11 *solidati muri, propugnaculi addita* (*propugnacula* ipse), V 3, 14 *largas aquas venas* (*aquarum* ipse). In eodem genere vitiorum etiam

ea ponenda esse videntur, quae leguntur III 70, 23 *cuius nimius ardor: inparem esse modestiam suam.* Hanc codicis scripturam Meiser tueri ausus est, diiunctis ac dilaceratis orationis membris. Recte Puteolanus *nimio ardori imparem esse.* Scilicet *nimius* librarius scripsit praecedentis vocabuli (*cuius*) sono captus, et vocabuli *ardori* extrema littera initio sequentis vocabuli hausta est.

I 37, 14 *Obultronii Sabini.* Errore typothetae, ut videtur, apud Meiserum adnotatum est praebere codicem *obultronus ablni.* Recte Baiter et Ritter (cf. praef. p. XXVIIII): *obultroniis ablni* (cf. Ann. VI 4, 3, ubi in primo Mediceo scriptum est *titiis abini* pro *Titii Sabini*). Nihil igitur librarius peccavit nisi quod litteras prave divisit. Manus recentior *s* supposito puncto sustulit et inter *a* et *b* superscripsit *l*, quae nihili esse olim intellectum est. Ceterum hic locus similis est ei quem Ann. XV 59, 24 anno 1892 correxisse mihi videor, cum *nomen mulieris Atria Galla, priori marito Domitius Silus* mutarem in: *nomen mulieri Satria Galla, priori marito Domitius Silus.* Adde XI 18, 2 *mortes anquinii,* i. e. *morte Sanquinii.*

I 39, 4 plerique Halmium secuti scribunt *cum alii in Palatium rediret, alii Capitolium peteret, plerique rostra occupanda censerent,* pauci *redire . . . petere.* Horum scripturam confirmat codex, in quo scriptum est *redire* ac *petere,* correctum illud quidem ex *peteret.* Dubitationem adhuc movit Meiseri iudicium, qui correctionem a librario ipso factam esse negat. Iniuria; adsunt enim in fine vocabuli lineolae illae obliquae, quibus manus librarii deprehenditur. Infinitivi cum verbo censendi coniuncti usum exemplis satis firmaverunt editores.

I 45, 13 *praesenti exitio subtraxit.* Ibi *praesenti tiexilio* in codice scriptum esse ad unum omnes (et Ritter quidem addito vocabulo 'sic') tradunt. Adiungit tamen Meiser: 'posterius *ti* del. 1 m., sed ita ut tantum *t* deleta sit'. *Exilium* scriptum est, cum scribendum esset *exitium,* etiam I 32, 2 et in primo Mediceo Ann. VI 20, 4. 47, 5 et contrario vitio *exitium* pro *exilio* I 77, 15. Syllabam *ti* errore iteratam esse (sicut II 74, 5 errore semel scripta est in vocabulis *praefectus Aegypti Ti. Alexander,* cum deberet bis scribi) per se ipsum haud incredibile est. Nam idem librarius V 10, 2 scripsit *conprimere receptantem* idemque *re* delevit, I 46, 21 *averteret et,* ubi nihil correxit, I 4, 10 *letius usurpatam,* cum deberet *laeti* (cf. Ann. XIII 15, 14 *intendit urgentibusque* cum rasura supra extremam litteram prioris vocabuli, qua notam litterarum *ur* deletam esse probabile est). I 44, 9 *quive vere,* cum deberet *qui vere.* Ac tamen, etsi Tacitum *praesenti exitio* scripsisse certum est, id quod de codicis scriptura traditur, a vero longe abhorret. Nam hoc quoque loco priores certam quandam scribendi legem, quae in hoc codice religiosissime observatur, neglexerunt, rati, ut videtur, litteram *i* post *t* promiscue modo brevem scribi modo in inferiorem partem extentam. Nam priore loco, in voc. *praesenti,* scriptum est *tj,* sicut solet scribi, nisi vocalis intra eiusdem vocabuli fines sequitur — nam vocali sequente uno ductu scribitur —, posteriore, ubi eadem syllaba errore iterata esse dicitur, nulla est *j.* Talem libidinem scribendi quisquis paucas huius codicis paginas perscrutatus erit, librario suae scripturae tenacissimo non imputabit[1]). Accedit alius priorum error haud minus gravis. Litterarum *t* et *a* maxima pars simillima est; discrimen continetur ultima parte. Nam litterae *t* ultima pars recta linea ad sequentem litteram pergit eamque attingit, litterae *a* ultima linea in inferiorem partem oblique

[1]) Lege enim illa nihil est severius. Praesto est ingens copia exemplorum, quibus firmatur lex; nullum, quo frangatur. Nam quod Ann. XIV 17, 7 in voc. *multi* breviorem formam litterae *i* conspicimus, id suam habet excusationem. Scilicet cum librarius scripsisset *multę nuccrinis,* manus recentior, quae et ex arto spatio et ex litterae *t* figura deprehenditur, ex littera *t* fecit *ti,* ę autem integrum reliquit.

pendet nec ullam cum sequenti littera communionem habet. Haec figura hoc loco aperte conspicitur; addidit librarius superne obliquam lineolam delendi causa. Sequitur autem litteram *a* nec *j* nec *i*, sed *u*. Huius litterae posteriorem partem librarius correxit in *e*, priore integra relicta. Id autem tum demum fecit, cum aut *xilio* aut certe *x* iam scripsisset, id quod ex nimia propinquitate litterarum *e* et *x* apparet. Quid igitur fecit librarius? Nimirum *auxilio* correxit in *exilio* (v. tab. No. 7). Et *a* quidem delevit, *u* non delevit, quoniam dextram eius partem in *e* correxit. Sic tollitur Meiseri offensio, qui tantum priorem litteram, quam ille *t* esse putavit, deletam esse miratur. *Exilio* autem iam in eo codice, ex quo liber Mediceus descriptus est, scriptum fuisse videtur. quoniam in eodem vocabulo dupliciter errasse eum qui Mediceum confecit credi vix potest. Atque is error, quo similitudine soni ductus *auxilio* scripsit pro *exilio*, haud rarus est. Quin etiam prorsus idem error irrepsit Ann. XIII 23, 11, ubi *exiliumque* in *auxiliumque* corrupit librarius neque errasse se sensit. H. II 81, 4 *excitus* corrupit in *exercitus*, III 9, 22 *exitu* in *exercitu*, III 27, 13 *contisque* in *concitisque*, II 49, 9 *subdidit* in *subsidium* (sed correxit et in margine adscripsit *d* — quod non vidit Meiser — ne qua dubitatio esset de littera *d* ex *s* effecta); V 11, 12 in voc. *firmaverant* loco litterae *fi*, quae uno ductu scribitur, *a*, ut videtur, scribere coepit (*armaverant*), cui, priusquam absolveretur, *fi* imposuit (om. Meiser). Ac saepe in aliorum vocabulorum similitudinem quandam delapsus est. III 71, 4 cum scribendum esset *erant antiquitus*, scripsit *erant tanti* (hic est finis versus) *quitus* (non *aantiquitus*, ut ait Meiser, quod credi angustiae spatii vetant), ac postea *t* et lineola delevit et erasit; et similiter I 2, 11 *tantiquissimis* (Meiser *aantiquissimis*); I 76, 19 *obliti* (hic est finis versus) *tiam* (de verbo obliviscendi cogitans) ac mox *i* post *l* mutavit in *e* (mira de hoc vitio Meiser), quod similiter fecit in vocabulis *rettulerat* I 39, 4 (coeperat enim *rettulit* scribere; om. Meiser), et *armigerum* III 45, 8. Idem II 9, 2 *regēndas* scripsit (*regem* cogitans), IV 8, 4 *curantiquitus* (*curanti*), IV 33, 16 *pronūmero* (*pronum*), IV 70, 21 *fruminis* pro *fluminis* (*frumentum?*) et correxit. Non correxit II 14, 2 *audactam e* pro *adactae* scriptum (*audacter*), IV 20, 19 *consiluissent* (*consilium*; cf. Ann. XV 13, 11 *consuluisse*, ubi *u* post *s* correxit ex *il*), IV 2, 18 *parvitiis* (*parvi*), I 19, 4 *me* (hic est finis versus, quod reticeri non debet) *die*, ubi scribendum erat *medii*.

I 54, 10 pars editorum retenta codicis scriptura *nisi ipsi consulerent* scripsit, pars ex Halmii coniectura *ni sibi ipsi consulerent*. Halm contulit locum simillimum Ann. I 48, 3, Heraeus addidit H. IV 20, 19. Ego, ne qua dubitatio supersit, addo H. V 8, 12, ubi *si ipsi* scriptum est pro *sibi ipsi*; nam *bi* supra lineam, ut recte ait Meiser, addidit 2 m.

I 63, 3 *raptis repente armis*. In codice scriptum esse dicunt *raptisae* (in fine versus) *repente armis*. Litteras *ae* Meiser dicit in fine versus per errorem additas esse; delendas esse correctorem lineola in littera *e* indicasse. O rem miram! Quis enim umquam librarius, cum scribendum esset *raptis*, scripsit *raptisae*? Unde illae litterae irrepserunt? Nam etsi genera vitiorum paene infinita varietate sunt, tamen non usque eo imbecilla ac sensu cassa est natura humana, ut temere quovis flecti credi possit, atque ipsi etiam errores suas habent rationes. Nec vero hic locus ullam nobis necessitatem imponit incredibilia credendi. Nam rursus priores correctionem subesse non viderunt, rursus litteras *a* et *t*, de quarum similitudine et differentia supra disputavi, inter se discernere non potuerunt. Ego cum ad hunc locum accederem, primo in fine versus *te*, non *ae* scriptum esse intellexi (ex quibus litteris posteriorem librarius ipse solito sibi more lineola obliqua superne adiecta sustulit; quare iniuria Meiser correctorem aliquem id fecisse

existimat); deinde litteras *tj* post *p* artiore quam solent spatio contineri miratus sum, tum supra sinistram partem litterae *t* reliquias superioris partis litterae *e* animadverti; postremo sub litteris *j* et *s* latere hastas litterae *n* vidi. His repertis apparuit vera ratio eademque credibilis: librarius cum scripsisset *rapente*, id ita correxit in *raptis*, ut ex *e* faceret *t*, cuius posteriorem hastam interposuit (inde artius illud spatium), priorem hastam litterae *n* mutaret in *j*, posteriorem in *s*, litteras *te* adiecta virgula posteriori harum litterarum tolleret. Quod autem non suam utrique litterae virgulam adiecit, sed unam posuisse satis habuit, de ea re bene disputavit Meiser l. c. p. 138. Iam certum est scripsisse Tacitum *raptis repente armis*, quod etsi in omnibus fere editionibus invenitur, quibus hodie utimur, tamen explicata codicis scriptura hoc consecutus sum, ut eae coniecturae, quas falsa lectio genuit, ut I. Fr. Gronovii, qui *derepente* scribi iussit (quod, etsi Tacitus nusquam eo vocabulo utitur, Baiter et Ritter in textu posuerunt) et Woelfflini, qui *raptis ut repente . . . rabie irent causis* excogitavit, abiciendas esse appareat. Nam etiam ablativi absoluti, quem apud Tacitum haud raro liberrime eis, quae antecedunt, adiungi constat, usus iniuria multis displicuit, unde ortae sunt inutiles coniecturae Weidneri (in Fleckeiseni Annal. 1894 p. 853): *raptisque repente ruebant armis ad caedem innoxiae civitatis*, Meiseri (in Studiis criticis, Monaci 1873): *raptique repente animi*, Heraei: *terruit. Raptis repente armis ad . . . et rabie iere* (vel *eunt*), *causis* (cf. JB. 1887 p. 39), Novákii (Krit. Beitr. zu röm. Schriftst., Prag 1884): *terruit. Ac raptis repente armis . . . rabie eunt.*

Pauca addenda sunt de genere vitii admodum frequenti. Saepe enim librarius in sequentis vocabuli non modo terminationem, sed etiam in medium corpus atque in initium transsiluit; modo correxit quae falso praeceperat, modo errasse se non sensit. Neque solum ibi eum errorem commisit, ubi similitudine vocabulorum in errorem inliciebatur, sicut hoc loco, verum etiam nulla similitudine excusatus. Seligo pauca exempla, quorum varia genera sic inter se discernas: 1. I 62, 5 *festinatius* (*festinatione* ipse, non 2 m., ut ait Meiser, correxit) *tutius* (cf. Ann. I 70, 13 *nox vox*, i. e. *non vox*), 62, 14 *ipso profectione* (quod correxit in *profectionis*; nam *profectiones* ab initio eum scripsisse, id quod priores dicunt, propinquitas litterae *s* credi vetat)[1]) *die*, II 24, 17 *quingentibus* (correxit *quingentis*) *equitibus* (cf. II 42, 13 *cladibus* — *c* aliquo modo correxit in *g*; debebat etiam *bus* mutare in *is* — *et securibus*), II 43, 12 *Varenus* (debebat *Varus*) *Alfenus* (cf. III 59, 13 *Flaviano*, ubi debebat *Flavio*; sequitur *Domitiano*; Ann. XVI 22, 25 *everterant*, cum deberet *evertant*; sequitur *perverterint*), III 5, 10 *commissior* (quid debuerit, incertum est) *patientior*, III 13, 3 *secretorum* (debebat *secretum*) *castrorum*, III 39, 7 *elegantium* (*u* mutavit in *a*, quod non vidit Meiser, *m* delevit) *morum* (cf. Ann. XIV 45, 3 *innocentium* (debebat *innocentiam*) *miserantium*, XIII 13, 12 *intempestatem* — debebat *intempestivam* — *severitatem*). — 2. I 31, 17 *festum Incestis* (debebat *Celsum infestis*), I 56, 7 *abrecti* (debebat *abrepti*) *vinctique* (similiter Ann. XV 35, 9 *vincti abrectique*), II 5, 14 *mociani* (debebat *Muciani*) *moribus*, IV 46, 20 *pauri causam* (debebat *pari causa*, cf. 40, 15 *laude cauruit*, Ritter praef. p. XXXI). — 3. III 23, 7 *clateque* (*c* ipse delevit) *cladem*, Ann. XV 2, 9 *in absitium* (debebat *exitium*) *suum abrumpunt*. — Adde nova exempla, quae adhuc latuerunt, haec: 1. V 23, 11 *magnitudinem* (*m* del. ipse) *potiorem*,

---

[1]) Nec II 6, 7 *secutos st* scripserat antequam *secutum est* efficeret, sed cum *secutos* scripsisset (nam praecedit *quos omnes*), super *o* posuit *um*, ex *s* fecit *e* (ut I 46, 11, ubi *centurionisxolveret* correxit in *centurioniexolveret*) eique adiunxit *st*; nec II 9, 2 *perremiserat* scripserat ante correctionem, sed cum aut *pre* aut *premiserat* scripsisset, ex *p* fecit *per* (*p*) ac *re* lineolis delevit.

II 98, 7 *suo mestati* (*i* in *u* mutatum esse fugit Meiserum; debebat librarius *suomet astu*) *occultati*[1]. — 2. II 12, 16 *cędis disiectique* (syllaba *dis* praecepta, quo errore cognito in voc. *cędis d* mutavit in *s*, *s* extinxit, in margine adscripsit *cesi*). I 52, 12 *procusa* (ex *c* fecit *f*) *cupidine*. — 3. I 32, 11 *mona* (cum scriberet litteram *m*, in exaranda tertia hasta substitit et ex prioribus duabus fecit *b*) *consilia mora valescere.*

I 65, 13 *cuncta illic externa et hostilia: se coloniam Romanam et partem exercitus et prosperarum adversarumque rerum socios; si fortuna contra daret, iratis ne relinquerentur.* Sic et Halm et Meiser, nisi quod hic post *socios* punctum ponit. De codicis scriptura Baiter nihil ad hunc locum adnotat; in Meiseri apparatu tres codicis scripturae discrepantes inveniuntur, ex quibus duae falsae sunt; quarta eaque gravissima eum fefellit. Verum hoc unum est: scriptum esse in codice *contraderet*, quod ante eum Ritter adnotaverat. At neque *cuncta*, in quo vocabulo notam erasam esse dicit, neque *colperniam*, quamquam apposuit 'sic', in codice reperiuntur. Nam in vocabulo *cuncta* nihil supra *c* erasum est; at supra *a* rasura conspicitur, sub qua potest fuisse nota litterae *m*. Sed hic levis error est, alter dignior memoria. Quis enim, etiamsi codicem ipsum non viderit, non miretur, si audiat librarium *coloniam* corrupisse in *colperniam*, cuius corruptelae simile nihil invenire possis, nisi forte *raptisae* illud ex *raptis* corruptum velut testem ex inferis adhibere velis? Praeterea et *p* litterae figura minus lata est, quam ea, quae hoc loco post *l* conspicitur, nec lineola illa transversa, qua litterae *p* addita significatur *per*, hoc loco, sicut solet, litteram pervadit, sed ab inferiore parte claudit. Quid igitur scripsit librarius? Nimirum transversa illa lineola, quae Meiserum decepit, delendi signum est, quo quidem signo deleta est littera *j*. Ei partim imposuit partim adiunxit litteram *o*, quam Meiser dextram partem litterae *p* esse opinatus est. Itaque hoc fuit adnotandum in apparatu critico: '*coloniam*; sed *o* post *l* correxit ex *j*' (v. tab. No. 8). Scilicet librarius postquam *coljam* litteris *on* omissis (sicut III 67, 9 *famia* scripsit pro *familia*) scripturus *colj* scripsit, errore animadverso verum restituit. Eiusdem erroris tria in hoc codice exempla simillima sunt. Nam Ann. XV 23, 4 *coljnia* scriptum est, littera *o* supra *j* corrigendi causa addita. H. III 43, 5 cum iam *colja* scripsisset, litterae *j* imposuit *o* (quam non potuit hoc loco deletae litterae *j* adiungere, quoniam *a* iam scripserat, quae littera locum litterae *j* vicinum occupabat), mox *a* lineola delevit et *niam* adiunxit. Hoc loco verum vidit Meiser; nulla enim est similitudo litterae *p*. At aliqua similitudo est IV 72, 8, ubi non vidit Meiser in voc. *colonię o* post *l* ita correctum esse ex *j*, ut eodem iure hoc loco possit *colpniae* legi (nam transversa lineola hoc loco deest) quam I 65, 14 *colperniam*, aut II 6, 20 *bellp*, ubi librarius *bellj* correxit in *bello*. Quod autem eo de quo agimus loco lineolam transversam Meiser non vidit esse delendi signum, ei rei aliquid excusationis inde paratur, quod lineola hoc loco librarius crassiore usus est quam fere solet in delendis litteris. Nec tamen desunt crassioris lineolae exempla. Simillimus enim aspectus est litterae *p* in voc. *bettasios* IV 66, 15, in quo *b* effecit ex *p*, inferiore parte eius litterae deleta. Nemo autem umquam hoc loco in codice *perettasios* scriptum fuisse adfirmavit, non magis quam Ann. XV 20, 5, ubi plane eodem modo *optinuissent* in *obtinuissent* mutatum est, *opertinuissent*. Eadem ratione *scabies* ex *scapies* V 4, 8 correctum est. Etiam littera *s* in voc. *partes* II 12, 2 et *curulis* II 59, 15, *b* in voc. *colonibus*

[1]) Fortasse eiusdem generis sunt IV 46, 21 *postremum* (Woelfflin *postremo*) *caelum*, et V 26, 5 *apud Vitellium* (al. *Vitellii*) *legatum*; certe Ann. XVI 14, 22 *monitus prius Anteio*, ubi recte *monitus* in *monito*, prave *Anteio* in *Anteius* mutatum est.

esset facundia Muciani et ostentatione artis, una cum reliquis eius provinciae sociis et toto exercitu multo magis ac maxime eo accensus est, quod adseverabat Mucianus statuisse Vitellium, ut Syriacae legiones in Germaniam transferrentur. Hic nuntius a Muciano allatus velut cumulus accedebat ad vim eloquentiae, qua homines alliciebat. Contra *nihil aeque* Tacitus in initio enuntiati scripsit, ubi nihil simile praecedit, cui ea res, quae maximi momenti fuit, adiungi possit. Tales loci sunt H. IV 35, 1. Ann. II 65, 1, qui, si quid video, non sine aliqua causa in initiis capitum inveniuntur, quamquam eiusdem generis etiam ea sunt, quae Ann. IV 71, 11 leguntur. Horum trium locorum id commune est, quod scriptor novam sententiarum seriem ingrediens statum aliquem rerum urgentem vel gravem affectum aut inclinationem animi tempore imperfecto quod dicunt significat, unde factum aliquod natum esse dicit, quod perfecto vel praesenti tempore adiungit. Horum nihil inest in illo loco, quo quid Mucianus apud Antiochenses effecerit narratur. Inde coniectura mea orta est, quam tamen cum dubitatione profero, cuius causam supra commemoravi.

Eam lacunam, quae est H. IV 38, 4, optime explevit Iac. Gronovius, cum ante *provinciae* insereret *pro consule*. Hic rursus causa omissionis oculis occurrit. Nunc fidem huius supplementi similis loci comparatione, si modo opus est, augere licet. III 46. 15 in voc. *pro consule eam provinciam annuo imperio tenuerat* syllabas *sule*, a quibus incipit versus, a librario in rasura scriptas esse Meiser recte dicit. Raro divinari potest, quid in loco radendo correcto scriptum fuerit: hoc loco potest. Scriptum fuit *ciam*; nam in fine antecedentis versus, id quod non vidit Meiser, librarius *procon* correxit ex *prouin*, quod ita fecit, ut priori hastae litterae *n* imponeret c, ex posteriore et littera *i* efficeret *o*. Scilicet similitudine initiorum inductus voc. *prouinciam* praeceperat. Idem utroque loco error est eademque causa erroris; hoc interest, quod altero loco librarius praecepta correxit, altero in errore perseveravit.

Similis error librarium vexavit III 71, 19. Ibi enim post *lapsus* scripsit *Inp*; quippe *Inporticus* praecipiebat. Mox *n* mutavit in *g*, quo efficeret *Ignis*. Sed cum vereri coepisset, ne, si etiam *p* in *n* correxisset, litterarum forma obscuraretur, omnes tres illas litteras obliqua lineola delevit ac spatio intermisso *Ignis Inporticus* scripsit. At in eodem illo vocabulo *Ignis* scribendo iterum erravit: scripsit enim *In* idque correxit in *Ig*.

Nec diversa fortasse causa fuit maioris lacunae, qua nescio an discissus sit ordo eorum quae de principis Vitellii origine III 86, 1 traduntur. Ibi deesse quaedam primus Weifsenborn suspicatus est, qui vestigia codicis premens, in quo scriptum est *patrem illi Luceriam*, Tacitum in eis quae de origine A. Vitellii prodidit, non modo patriae, sed etiam patris eius, viri clarissimi, sicut solet fere in talibus locis, mentionem fecisse argute coniecit. Nec tamen quod coniecerat reliquis probavit, qui cum immutare quae prodita sunt tutius esse existimarent quam aliquot verba inserere ac de patre Vitellii sufficere ea quae secuntur: *cuncta patris claritudine adeptus*, Oberlinum secuti scripserunt: *patria illi Luceria*. Horum opinioni ego non accedo primum quia patris Vitellii in ipso initio huius capitis mentionem non esse factam non credo, deinde quia eius corruptelae, qua *patria* in *patrem* depravatum esse putant, nullam in hoc codice similem inveni. Sic eo deductus sum, ut oculos librarii a voc. *Lucium* ad voc. *Luceriam* (non a voc. *patrem* ad voc. *patriam*) aberrasse et Tacitum haec fere scripsisse suspicarer: *Patrem illi* ⟨*Lucium Vitellium censorem ac ter consulem fuisse memoravi, patriam habuit*⟩ *Luceriam*. A. Vitellium autem L. Vitellii censoris ac ter consulis filium fuisse commemoraverat I 9.

In confinio paginarum columnarum versuum facilius vocabula omitti consentaneum est. Haud male Ritter III 72, 14 in fine columnae post voc. *gloria* omissum esse *patrati* coniecit. *studia* omissum est Ann. I 69, 10 in fine paginae. H. IV 40, 16 voc. *fama* positum est in fine versus, id quod non adnotavit Meiser, cum ceteroquin, ubicumque opus esse videbatur, in tradendis talibus rebus diligentissimus fuerit. Inde aliquid probabilitatis additur coniecturae Heraei *de* inserentis ante nomen Demetrii, sicut Ann. III 62, 14 *de* ante *delubris* insertum est. Conspirant hi loci: H. I 50, 21 *ambigua de Vespasiano foma,* Ann. VI 32, 15 *eo de homine haud sum ignarus sinistram in urbe famam.* Dativum uno loco inveni: Germ. 35, 13 *et quiescentibus eadem fama*; sed eius loci diversa ratio est. Postremo operae pretium est memorare Ann. XIII 31, 13 vocabula *in provincia,* post quae Madvig *quam* scite inseruit, posita esse in fine versus.

Sunt aliae lacunae et maiores et ambigui iudicii. Velut I 46, 24 post *seponeretur* aliquid deesse olim intellectum est. Nam qui sententiam integram esse dicunt, si quis quaerat, quo tandem evocatus ille ab Othone praemissus sit, ubi Laconem trucidaverit, aut nihil aut in illam ipsam insulam praemissum esse ibique Laconem necasse respondent. At tam incerta tradidisse Tacitum vix credibile est. Ego praeeunte Nipperdeio eum vel haec vel similia scripsisse suspicor: *Laco praefectus, tamquam in insulam seponeretur, ⟨Ostiam amotus ibique⟩ ab evocato, quem ad caedem eius Otho praemiserat, confossus,* fretus similitudine eorum quae leguntur Ann. XVI 9, 4 *Silanus, tamquam Naxum deveheretur, Ostiam amotus, post municipio Apuliae, cui nomen Barium est, clauditur.*

Certius est iudicium de vocabulo *ita*, quod H. IV 4, 17 deesse nemo negat. Sunt qui plura deesse coniecerint. His ego assentior. Tentavi autem: *prompsit sententiam ut honorificam in novum principem ⟨ita ipsi decoram; quippe⟩ falsa aberant.* Potest enim librarius simili exitu vocabulorum *principē* et *quippe* esse deceptus.

II 57, 6 post *Britannico* (*brittannico*) excidisse *exercitu* certum est. Eius vocabuli quamvis levia vestigia possunt videri in ipso codice superesse. Nam in voc. *delecta* prima littera ita a solita figura abhorret, ut *e* videatur coepta esse scribi. Videlicet primam litteram voc. *exercitu* scribens, errore captus, tamquam id vocabulum iam scripsisset, litteram *e* coeptam scribi mutavit in *d*.

Fortasse eiusdem generis sunt quae III 73, 1 traduntur: *sed plus pavoris obsessis quam obsessoribus intulit.* Quid pavorem intulerit, ex editorum numero unus Prammer adnotat cum scribit: ‘intulit der Brand des Capitols’. Ceteri id per se ipsum intellegi arbitrati sunt. Quod rectene iudicaverint, dubito. Nam quoniam praecedunt verba *ea tunc aedes cremabatur*, aedem potius quam incendium aedis pavorem intulisse iure colligo. His angustiis subvenit codex, in quo ante *pavoris* scripta est littera *i*, cui paene absolutae quasi corrigendi causa arte adiuncta est prima littera voc. *pavoris.* Unde aut *id* aut *incendium* aut *id incendium* inter *plus* et *pavoris* inserendum esse conicio.

Aliis locis lacunam subesse temere dicunt. III 13, 4 *et transfugisse* Clemm scribi iussit, quia in codice est *transfugisset.* At id librarium ipsum deleta littera *t* in *transfugisse* mutasse recte Meiser dicit. Hic locus eorum me admonet, quae IV 39, 3 in omnibus editionibus reperiuntur: *et Tettio Iuliano praetura . . . ablata.* Eius viri nomen recte scriptum est in codice II 85, 13; at I 79, 25 *Iulianus Tettius* corruptum est in *Iulianus et titius.* Inde colligo illo quarti libri loco *et tito* depravatum esse ex *Tettio,* non ex *et Tettio.* Itaque *et* tollendum est ex

itaque *u* mutavit in *si* ac reliqua addidit); in comparativo et superlativo adiectivi *splendidus* II 76, 20. IV 27. 15. Addo nova exempla haec, quae praeter unum (V 12, 14, ubi *mul* — hic est finis versus — *tudine* scriptum est) correctione insignia sunt ac propterea, ut saepe factum est in correctionibus, eos fefellerunt, qui ante me codicem inspexerunt. I 13, 13 in voc. *adulescentiam* (v. tab. No. 10) librarius *d* ex *l* correxit, quod praeceperat (sicut Ann. XI 12, 14 *alterum* scripsit pro *adulterum*); quia autem figura litterae *d* correctione effecta a solita forma eius litterae abhorrebat, in margine addidit *adu*, ut scripturam confirmaret. I 61, 7 in voc. *triginta g* correxit ex *n* (scilicet *trinta* scripturus fuerat). II 4, 20 in voc. *cohortium h* effecit ex *r*. II 48, 12 cum scripsisset *meri*, cum deberet *mereri*, litterae *i* imposuit *e* et *ri* addidit (itaque in apparatu critico dicendum fuit '*mereri* corr. ex *meri*'). II 63, 14 *alieno* effecit ex *alio* (v. tab. No. 11), sicut *Inalio* Ann. XIII 56, 18 scripsit pro *in alieno* (de correctione Meiser, ut videtur, non cogitavit). II 83, 10 in voc. *praesidiis s* ante *i* correxit ex *d*, quod scribere, ut videtur, coeperat, sicut II 91, 15 in voc. *auxilium* post *au* scribere *l* coeperat, cum errorem animadvertit, et III 18, 13 in voc. *resistendum*, cum post *re* scribere *st* coepisset, in conatu substitit. III 42, 8 postquam *marium* scripsit, *u* mutavit in *t*, notam litterae *m* et lineolis delevit et erasit, *imarum* addidit. IV 58, 27 in voc. *flagitii g* correxit ex littera *ti*, quam coeperat scribere (quippe IV 62, 16 *flatium*, cum deberet *flagitium*, exscripsit). IV 83, 14 in voc. *interrogat* secundam *r* correxit ex *g*. V 8, 15 *hor* mutavit in *honor*. — Nescio an in eodem genere vitiorum ponendum sit *fuge ultimus* illud, quod est in codice III 16, 6. Nam si Tacitum *fugae velocissimus*, quod coniecit C. Schenkl, haud improbabiliter, scripsisse suspicamur, scriptura codicis facilis est explicatu. Quippe postquam *velocissimus* omissa media vocabuli parte abiit in *velocimus*, pereunte littera *e* litterae *oc* in litteram *t* forma illis simillimam corruptae sunt.

I 69, 5 *unus ex legatis*. Deest hoc loco unum folium Medicei; vicariis eius utimur Laurentianis 68, 4 et 5 (a et b), quorum eas paginas, quibus lacunae codicis Medicei 68, 2 explentur, cum editione Meiseri contuli. *Ex legatis* in omnibus editionibus legitur. Ritter et Halm in codice b scriptum esse adnotant *e*, Meiser eam scripturam codici a attribuit atque in b diserte negat scriptum esse *e*. Neutrum vere. Nam in utroque codice scriptum est *unus e legatis*. Itaque hanc formam praepositionis etiam codici Mediceo 68, 2, ex quo libri a et b descripti sunt, et Tacito attribui oportet. Nec vero Tacitus, id quod testatur lexicon Taciteum, umquam scripsit *ex legatis*, sed *e legatis* H. I 57, 2. IV 64, 3.

I 71, 9 *nec Otho quasi ignosceret, sed ne hostem metueret, conciliationes adhibens, statim inter intimos amicos habuit*. Codicum a et b scripturas haud multum inter se discrepantes Meiser recte indicavit. In editionibus varia reperiuntur: quae supra exscripsi, invenit Halm, quem secuti sunt Wolff et Novák et Müller, nisi quod Müller *hostes* retinuit; *ne hostem metueret, consiliatorem adhibens* Meiser excogitavit eaque probaverunt Gantrelle et Godley; *ne hostis metum reconciliationi adhiberet* Spooner Ritterum secutus scripsit, *ne hostis metueret conciliationem* [*adhibens*] Valmaggi. Haec omnia improbanda sunt: Halmii coniectura propterea, quod *conciliationes adhibere* latine non dicitur (atque ob eandem causam Walteri inventum (in Fleckeiseni Annal. 139 p. 246): *sed, ne hostes metu terreret, conciliationes adhibens*, et Urlichsii (Mus. Rhen. 31 p. 493): *sed, ne hostes metueret, consolationes adhibens*); Meiseri, quod iusto longius ab eis quae tradita sunt recedit; Ritteri et Valmaggi inventa refelli non pluris interest, quam Helleri (Philol. 51 p. 316): *sed dum hostes metueret, conciliationis adnitens*. Restat Nipperdei et Heraei emendatio specie satis audax,

re vera facillima et eadem sensu peropportuno. Nam cum Nipperdey coniecisset *deos testes verae reconciliationis adhibens*, eam coniecturam probabiliorem fecit Heraeus, cum in locum vocabuli *verae* substitueret *mutuae* (quod multo ante invenerat Heinsius, cum coniceret: *ne hosti spem mutuae reconciliationis adimeret*). Ego Tacitum scripsisse *deos testes mutuae reconciliationis adhibens* propterea certum esse existimo, quod sic demum perspici potest, cur Otho Marium Celsum in Capitolium potius quam in Palatium acciri iusserit. Sedem enim deorum ideo eum elegisse apparet, ut *deos testes mutuae reconciliationis adhiberet* et foedus illud, quod facturus erat, praesentium deorum invocatione sanciret. Codicum autem scriptura specie quadam plerosque editores fefellit. Nimirum credebant vocabula *ne* et *metueret* alterum alteri praesidio esse et in littera *n* sedem et originem depravationis positam esse non videbant. Reliqua enim vitia ex usitatissimis generibus sunt. Ex *mutuae re* cum factum esset *metuere*, id quidem abiit in *metueret*, sicut saepe ex infinitivo activi orta est tertia persona singularis numeri coniunctivi imperfecti; *tes* semel scriptum est, cum deberet bis scribi, sicut *decus* scriptum est pro *dedecus* I 30, 9; denique falsae aspirationis (*deos* corruptum est in *ne hos*) plurima exempla sunt. Velut IV 63, 10 pro *Ubios* scriptum est *ubi hos*, et I 3, 11 in Mediceo scriptum erat *de his*, antequam id manus recentior corrigeret in *deis*.

I 74, 3 *et quemcumque quietis locum prodigae vitae legisset.* Sic omnes editores praeter Novákium, qui *quietis* seclusit, ratus, ut opinor, hunc genetivum iuxta dativum *prodigae vitae* submolestum esse. An dubitavit, essetne latinum *locus quietis*? Scilicet non prorsus idem usus genetivi est in vulgaribus exemplis, qualia apud Tacitum sunt *locus pugnae* vel *proelii, locus caedis, Galbae occisi locus, locus veneficii.* At quod nos dicimus 'ein Ort der Ruhe', 'ein Ruheplatz', latine nescio an *locus quietus* potius dicatur quam *locus quietis*, sicut Maternus dial. 13, 4 profitetur malle se securum et quietum Vergilii secessum quam certamina et pericula oratorum. Idem genetivus etiam Madvigio homini latini sermonis multo peritiori, quam est Novák, displicuit. Coniecit enim in advers. crit. vol. II (1873): *et quemcumque e quietis locum prodigae vitae legisset*, et inserta praepositione ex loco quietis fecit locum quietum. Hac emendatione Madvig quam poterat proxime ad verum accessit. Nam ipsam Taciti manum ne restitueret, eo prohibitus est, quod nesciebat, quid codices praeberent, id quod adhuc ignoratur. *Quemcumque* in utroque codice in *quaecumque* corruptum esse recte dicunt; *locum* Baiter et Ritter in codice a, *locis* in b scriptum esse adfirmant; Meiser *locis* in codice a, *locum* in b invenisse se dicit. Erraverunt omnes; nam in utroque codice est *locis*, quod qui audierit, non dubitabit, quin Tacitus scripserit: *et quemcumque e quietis locis prodigae vitae legisset.*

Similis error in eodem capite paullo post corrigendus est. Nam 74, 12 Baiter et Ritter in b scriptum esse *addidit*, in a *addit* dicunt, Meiser: in b scriptum esse *addit*, in a *addidit*. Hoc quoque loco codices consentiunt; nam in utroque est *addidit*, quod tempus, etsi nemo adhuc, quantum video, de fide eius dubitavit, melius in posterum utriusque codicis auctoritate stabilietur, quam unius. — Etiam alia quaedam de scripturis codicum a et b prave traduntur. I 87, 11 nomen gentilicium Aemilii Pacensis in utroque codice scriptum esse *emulio* dicunt, non dicunt in b litterae *u* nescio quem superscripsisse *i*. I 88, 2 Baiter et Ritter *Aquinatem* in b, *equitantem* in a, Meiser in utroque *equitantem* idque in b in *Aquinatem* correctum repperisse se dicit. Vera haec sunt: in a est *equitantem*, in b *Aquinatem*, correctum ex *Aquitantem*. I 90, 16 in b est *prosequeretur*, quod nemo adnotavit. Id potest videri in textu esse ponendum, ut sub-

iectum intellegatur *vulgus*. At sequitur *certabant*, quod ut in *certabat* mutetur, ego non suadeo. Ergo omissio litterae *n* errori tribuenda est.

I 77, 16 incertum est nomen tertii eorum trium virorum, quibus Otho senatorium ordinem reddidit. Hoc constat: duobus eum nominibus a Tacito sollemni suo more appellatum esse; utrum duobus cognominibus an cognomine et nomine gentilicio, dubium est. Nec solum de posteriore, verum etiam de priore nomine dissensio est. Alii enim *Saevino* scribunt, id quod scriptum est in codice, alii *Scaevino*, commoti auctoritate Ottonis Hirschfeldii, qui (Wien. Stud. 1883 p. 119) nominis Saevini ullum extare testimonium negat. Contra hunc tam gravem auctorem dicere non audeo; nec vero de priore, sed de posteriore hominis nomine disserere mihi in animo est. De eius initio in codice nulla est dubitatio: et priores et ego legimus *prom*, quae syllaba significata est littera *p* caudata (= *pro*) et superscripta nota litterae *m*. Secuntur tres litterae correctionem passae. Earum ante correctionem quae prima fuerit, difficile dictu est; correctione effecta est *q*, ut aiunt Baiter et Ritter, non *ti*, ut ait Meiser. Secunda littera ante correctionem videtur fuisse *j* (non *s*, ut Baiter et Ritter dicunt), cui superscripta est *v*; tertia nec *e* est (sic Baiter et Ritter), nec *s*, ut ait Meiser, sed cum ante correctionem possit fuisse *i*, superscripta est *o*. Correctiones autem ipsi librario tribuo, quae causa est, cur pluris interesse arbitrer, quid correctione effectum sit, quam quid initio scriptum fuerit. Hoc satis dubium, illud paene certum est: correctione enim effectum est *promquo*. Hoc fundamentum erit verum nomen restituere conanti, nec vero utendum eo, quod vetus manus similibus litteris, sed pallidiore atramento adscripsit: *promptius*, quod quidem idem excepta littera *p* (ante *ti*) Meiser in ipso textu legisse sibi visus est. Ex *promquo* igitur, modo post *p* caudatam alteram *p* eamque simplicem errore omissam esse statuamus, facile eruitur *Propinquo*, facilius certe quam aut nomina gentilicia *Pontio, Porcio, Pomptinio*, quae in quibusdam editionibus leguntur, *Paquio*, quod Hirschfeld excogitavit, aut *Prisco* cognomen, quod cum a Rittero inventum esset, Nipperdey, Wolff, Heraeus, Prammer, Gantrelle receperunt. Omissae litterae *p* in medio vocabulo post syllabam *pro* in initio positam alterum exemplum est Ann. XIII 7, 3, ubi *proIus* scriptum est, cum scribendum esset *propius*; cf. XII 29, 8 *P. atellio*, unde Lipsius restituit *Palpellio*. Restat tamen dubitatio; nam nomen *Saevini* (vel potius *Scaevini*) *Propinqui* in indicibus corporis inscriptionum latinarum frustra quaesivi.

I 78, 5 *nova iura Cappadociae, nova Africae, ostentui magis quam mansura*. Hic dativus, si modo Taciti est, non significat, quid voluerit efficere is, qui donum dedit — neque enim dubium est, quin Otho illis provinciis nova iura ita dederit, ut aeterna manerent — sed quid illo dono effectum sit. Itaque non est conferendus cum plerisque reliquorum eius dativi exemplorum: Ann. I 29, 16. XII 14, 18. XV 29, 16. H. III 35, 9, quibus locis consilii ac voluntatis significatio manifesta est, sed cum hoc exemplo solo: Ann. XV 64, 10 *membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset multum vitalis spiritus egestum*, ubi significatur, qualis species pallore membrorum effecta sit. Sed quaeritur, quid codex praebeat. Meiser *ostentai* in eo scriptum esse dicit; addit tamen videri fuisse *ostentui*. Quod si verum est, singularem hoc loco rem deprehendimus ac vix credibilem; nam librarium, cum recte scripsisset *ostentui*, id ipsum prave mutasse in *ostentai* aegre adducimur ut credamus. Ab ipso enim mutationem illam, si modo aliquid mutatum est, effectam esse certum est; nec quisquam eorum, qui codicem viderunt, hoc loco de manu recentiore cogitavit. Mihi incertum esse visum est, utrum littera *a* ex *u* correcta an ab initio scripta esset. Nec multum refert, utra opinio vera sit, quoniam nunc certe littera *a* con-

spicitur, quae sive corrigendo extitit sive non, Taciti manum ostendit. Itaque vel hinc oritur dubitatio, rectene hodie plerique *ostentui* scribant. Sed accedit alia res etiam maioris momenti. Nam littera *i* post *a* incertissima est. Nihil est inter *a* et *m*, quod instar litterae speciem praebeat a vicinis litteris discretae, sed tenuis hasta ultimae parti litterae *a* adnexa, quae mihi videbatur detergendo nata esse. Neque enim umquam in hoc codice littera *i* adnectitur praecedenti, sed propriam habet ac separatam sedem. Itaque mihi priores rectius hunc locum legisse videntur quam Meiser. Illi enim *ostenta magis* in codice scriptum esse testati sunt, idque mihi verum videtur esse. Sed quoniam *ostenta* Tacitum scripsisse incredibile est — id enim vocabulum substantivi vice fungitur —, Ernestium, Nipperdeium, Gantrellium, Prammerum — nam reliquos editores Meiseri auctoritas movit — secuti duplicata extrema syllaba scribemus *ostentata magis quam mansura*. Omissionis syllabarum supra multa exempla congessi; nunc addo IV 41, 11, ubi est *destit* pro *destitit*.

I 84, 6 *hinc confusi pedites equitesque in exitium ruamus.* Potest mirari quispiam, cur tandem Otho opus esse existimaverit dicere, unde vel ex quo loco Vitellius optaret ut confusi pedites equitesque Othoniani in exitium ruerent. Certe satis fuit optare, ut in exitium ruerent, nec multum interfuit, utrum ex castris suis — nam in castris praetoriis Otho milites adloquebatur — an ex alio loco in perniciem praecipitarentur. An adverbio *hinc* non significatur locus, sed origo et causa ruendi, ut sit nostrum 'infolge dessen'? Nam discordia et obsequii detrectatio causa exitii intellegi potest. An temporis ordo significatur, i. e. quod nos dicimus 'darauf'? Has dubitationes, quas non dirimunt editores — nam alii hanc, alii illam interpretationem praeferunt, nec desunt qui labare iudicium suum confiteantur — tollit ipse codex, in quo etsi litterae eius vocabuli, cuius loco adhuc *hinc* lectum est, vetustate ac situ oblitae ac paene extinctae sunt, tamen non *hinc* esse scriptum certum est. Neque enim quattuor in codice hoc loco litterae sunt, sed tres, quarum quin ultima sit *t*, non *c*, dubium non est. Quod ex quo animadverti, Tacitum scripsisse mihi persuasi: *ut confusi pedites equitesque in exitium ruamus*, idque ipsius codicis testimonio confirmari, cum identidem locum inspicerem, intellexi. Nam ante *t* aut *u* aut *n* est, ante *u* (aut *n*) *I*, eaque littera exigua lineola superne ab ipso librario adiecta deleta est (v. tab. No. 12). Scilicet librarius postquam *obsequatur* scripsit, verba *In exitium* praecipiens *I* scripsit, quam litteram viso errore delevit ac mox *ut* adscripsit; nam mediam illam litteram, cum per se ipsa et *n* et *u* possit esse, *u* potius quam *n* esse non negabimus, quoniam extremam litteram *t* esse vidimus. Superest in eodem codice simillimae et corruptelae et correctionis exemplum Ann. XIII 53, 1, ubi, cum scribendum esset *res*, librarius, postquam scripsit *Irex*, litteram *I*, quam errore scripserat, sive *Id*, quod praecedit, repetiturus, sive *In*, quod sequitur, praecepturus, tenui lineola superne adiecta delevit et *x* in s mutavit. Ceterum ne quid reticeam, eo de quo agimus Historiarum loco initium litterae *t* ita formatum est, ut videatur littera *u* coepta esse iterari. Quo fit, ut voc. *ut* hoc loco eundem aspectum eandemque figuram praebeat atque II 82, 19, ubi in eodem vocabulo initium litterae *t* ita scriptum est, ut littera *u* videatur iterari coepta esse.

Quaerere iuvat, quibus rebus ei qui ante me codicem contulerunt, decepti sint. Primum in errorem eos induxit obscuritas loci pallore obducti, qui tantus est, ut primo obtutu nihil certi dispiciatur; deinde fefellit eos similitudo, quae litterae *c* est cum posteriore parte litterae *t*, quamquam eas facile discernas; nam litterae *c* superior pars, sicut litterae *a*, in inferiorem partem vergit, litterae *t* extrema pars recta via ad dextram partem pergit. Postremo primam quinque

hastarum, quae efficiuntur litteris *Iut*, quam priores sinistram partem litterae *h* esse voluerunt, ego *I* esse adfirmo, minutissima lineola deletam esse non viderunt. Hoc caput fuit et origo erroris. Ceterum, etsi perbrevis est, et clarius cernitur haec lineola quam ipsae litterae, et delendi causa appositam eam esse inde apparet, quod, sicut illo Annalium loco, quem supra in comparationem adhibui, ita etiam aliis locis librarius litteram per errorem scriptam lineola perbrevi et pertenui superiori parti litterae apposita delevit, velut III 53, 13 litterae *l*, quam post *p* in voc. *publicae* scripserat, superiorem partem; nam ex inferiore fecit *u*. Supra eundem librarium nonnumquam etiam crassioribus lineolis eodem consilio uti adnotavimus. — Illud autem *ut*, quod Tacito restituimus, eis verbis, quae proxime praecedunt (*ne . . . obsequatur*) quam verbo optandi subiungi malumus, ut sit nostrum 'damit' potius quam 'dafs'.

His leviora quaedam addo. In rebus orthographicis, quas dicunt, Meiser codicis Medicei auctoritatem egregia fide secutus est. Pauca tamen etiam in hoc genere in primo Historiarum libro corrigenda sunt. Recte Meiser I 2, 2 scripsit *saevom*. Nam *u* superscripsit manus recentior, id quod forma eius litterae ostendit. Inde etiam punctum, quod sub littera *o* conspicitur, eandem manum recentiorem tollendi causa posuisse colligo. Lineola autem illa, quae litteram *u* pervadit, qua Meiser eundem qui *u* scripsit, eam litteram delevisse censet, mihi, quoniam et latior et ipsa littera pallidior est, videtur casu nata esse, antequam *u* superscriberetur. Idem Meiser I 30, 23 recte scribit *donativom* (Med. *donativo*); nec aliter id vocabulum scribendum fuit I 5, 3, ubi librarius cum scripsisset *donativum*, notam litterae *m* et transversa lineola et radendo delevit atque *u* correxit in *o*. *Donativom* plene scripsit II 82, 10. 94, 12. Atque I 79, 11 scribendum est *ignavom*, cuius vocabuli extrema littera, super qua est nota litterae *m*, correctionem librarii praebet. Atque cum hoc solo loco inspecto diiudicari vix posset, utrum *u* in *o* an *o* in *u* correctum esset, illud verum esse mihi persuasi aliis locis comparatis, velut II 84, 8, ubi in voc. *Vespasiano* litterae *u* in o mutatae eadem species est. — I 23, 7 *querelas*, ut videtur, scribendum est; nam altera ex litteris *l*, quas praebet codex, puncto supposito sublata est. Id punctum mihi ipse librarius posuisse videbatur. Eadem nota delendam esse litteram *e* significat in voc. *reuere* I 35, 3, *a* in voc. *eadem* I 43, 6 (ubi Meiser punctum manu recentiore positam esse existimat, sicut I 27, 11, ubi in voc. *eadem* littera *a* duobus punctis sublata est), litteras *cu* in voc. *cumcustrage* III 27, 14, litteram *o* in voc. *gregarios* III 51, 2, in quo *u* superscripsit ipse, litteram *c* in voc. *nichil* III 67, 5, litteras *ad* IV 79, 10 in voc. *ad* (hic est fin. v.) *avertit*. litteras *unt* IV 85, 3 in voc. *acceperunt*, quibus superscripsit *e*, litteras *sus* in voc. *pulsussus* V 2, 4 (de punctis tacet Meiser), litteram *e* mediam in voc. *cessessent* V 10, 10, quam litteram et lineola superne adiecta et puncto supposito delevit et *i* superscripsit. Postremo III 66, 3 voc. *et* inter *pacem* et *condiciones* positam duobus punctis ipse librarius, ut videtur, sustulit, id quidem errore, sicut simili errore I 2, 6 in voc. *Innos* alteram *n* puncto delevit.

Hi duo loci, quos modo attuli, me monent, ut ceteros quoque errores congeram, quos librarius in corrigendo commisit. II 17, 7 cum scripsisset *coh*, ita tamen, ut litteram *h* non totam exscriberet, *o* lineola (quam non vidit Meiser) delevit, *h* extinxit, *hortes* addidit atque sic effecit *chortes*. II 92, 19 postquam scripsit *potentiorem*, *s* addidit, notam litterae *m* non delevit. III 2, 12 *illyricumnare* scripsit nec tamen *n* in *m* correxit, sed *m* ante *n* delevit. III 10, 6 cum scribendum esset *arma metu*, scripsit *armam et ut* ac posteriorem litteram *m* delevit. III 45, 9 in exitu voc. *matrimonium* notam litterae *m* et posuit et delevit et restituit. III 51, 10 in nomine

Sisennae superiore parte litterae *e* lineola deleta effecit *Sisinna*, in primam syllabam errore delapsus. III 61, 9 cum scripsisset *augendorum oribus* pro *augendo rumoribus*, id non correxit, ut ait Meiser, sed addita littera *m* supra intervallum duorum vocabulorum effecit *augendorum moribus*. IV 8, 1 cum recte scripsisset *consulem*, notam litterae *m* delevit. IV 18, 4 cum recte scripsisset *per dissimulationem aluit*, notam litterae *m* in exitu medii vocabuli delevit et in initio voc. *aluit* superscripsit *m*. Sic effecit *per dissimulatione maluit*. IV 40, 18 non modo *am̄us* correxit ex *am̄;*, ut ait Meiser, sed etiam notam illam, qua *animus* legendum esse significaverat, lineola sustulit. Paullo ante (IV 40, 13) cum *masonium* scripsisset, *a* lineola sustulit et *o* loco *u* litterae superscripsit, sequenti syllaba, ut videtur, deceptus. IV 43, 3 postquam scripsit *eloquentie*, errore animadverso *e* extinxit, at non superscripsit *a*, sed *e*, quam litteram, cum iterum se errasse sensisset, in *a* mutavit. IV 54, 8 inductus terminatione antecedentis vocabuli (*incendium*) scripsit *capitolium*, cum deberet *capitolii*, in corrigendo autem parum diligens fuit; nam notam litterae *m* lineola delevit, *u* reliquit. IV 65, 4 vocabuli *libertatis* extremam litteram lineola sustulit, etsi dativus hoc loco ferri non potest. Quod in voc. *diversitate* IV 76, 23 super littera *e* finali est quid sibi velit nescio: esse notam litterae *m* eamque errore deletam, ut ait Meiser, non credo. V 2, 10 vocabuli *metus* in initio versus tres extremas litteras lineola perforavit, errore manifesto. V 9, 17 postquam scripsit *peromnia*, ex *a* fecit *em*, *i* reliquit, in margine tamen adscripsit *peromnem*. — Reliqua sunt quattuor exempla satis mira. IV 71, 12 *prospera*, quod recte scripserat, deleta littera *a* et superscripta *e* mutavit in *prospere*, deceptus, nisi fallor, simili exitu sequentis vocabuli (*accepere*). IV 62, 21 extremae litterae voc. *sancti* superscripsit *e*, cuius erroris nullam video excusationem. IV 34, 7 in voc. *cursumq;* litteram *q* lineola delevit. Sine dubio erravit, fortasse sequentis vocabuli (*rerum*) simili exitu deceptus; nam neque asyndeton ferri poterit nec quisquam coniciet librarium ex *que* efficere voluisse *ve*. Postremo in voc. *perrupta* IV 34, 3 littera *p* ante *t* tribus lineolis obliquis, duabus ab inferiore parte, una a superiore, deleta ac praeterea in initio voc. littera *p* (= *per*) puncto superposito notata est. Hoc punctum ecquid valeat nescio, qui ne id quidem divinem, quam habeat litterae *p* ante *t* damnatio aut rationem aut excusationem. Nam *proruta* scribendum esse quis pronuntiare audebit, modo II 15, 3 et IV 77, 7 contulerit? Ceterum non est dissimulandum I 86, 10 *prorupto* in codice scriptum esse pro *proruto* atque idem vitium deprehendi Ann. XII 43, 2. XV 40, 2.

Haec exempla vocabulorum a librario prave correctorum ita comparata sunt, ut fidem reliquarum emendationum, quas plurimas textui intulit, labefacere non possint. Nam et pauca sunt et exceptis tribus quattuorve aut levissima sunt aut causam erroris prae se ferunt. Maneat igitur in posterum haec ratio, ut quicquid librarium ipsum corrigendo effecisse appareat, id Tacitum scripsisse credamus.

Concludam hanc priorem disputationis meae partem, quam de primi libri Historiarum scripturis ita composuimus, ut reliquorum librorum similia exempla complecteremur, observatione grammatica. Tacitum modo *civitatum*, modo *civitatium* scripsisse constat. In primo libro Historiarum utriusque formae exempla sunt. Nec vero bis *civitatium* scripsit, semel *civitatum*, sed bis *civitatum* (66, 17. 78, 1), semel *civitatium* (54, 4). Nam 78, 1 in codice est *civitatum*.

De reliquis libris Historiarum quae dicenda sunt propediem proferam.

Druck von W. Pormetter in Berlin.

1. (fin. v.) = etiam prope etiam, deleto priore etiam (I 2,7).

2. = et Jam correctum in etiam (I 18,14).

3. = curantiquitus correctum in cur antiquitus (IV 8,4).

4. et in marg. = letius usurpatam (I 4,10).

5. = taurus (u corr. ex o) (I 20,13).

6. = li, gi, ti (nisi vocalis sequitur), ei.

7. = praesenti exilio (corr. ex auxilio) (I 45,13).

8. = coloniam (o post l corr. ex j) (I 65,14).

9. et in marg. = relinquerentur corr. in relinquerent (I 65,16).

10. = adulescentiam, d corr. ex l; in marg. adscriptum est (I 13,13).

11. = alieno, e corr. ex o (II 63,14).

12. = Jut, deleta littera J (I 84,6).

2

Wissenschaftliche Beilage zum Jahresbericht des Askanischen Gymnasiums zu Berlin. Ostern 1900.

In Taciti Historias studia critica et palaeographica

scripsit

Georgius Andresen.

II.

BERLIN 1900.
R. Gaertners Verlagsbuchhandlung
Hermann Heyfelder.

1900. Programm Nr. 50.

Quod anno proximo in fine prioris partis huius disputationis, cum primum librum Historiarum perceusuissem, promisi, id nunc exolvo, proferendo quae de scripturis codicis Medicei 68, 2 disserere exorsus in hunc annum distuli. Quo munere ut defungar, eandem viam, quam ingressus sum, tenebo, ut, quae de scripturis codicis monenda esse videantur, servato librorum II—V ordine enumerem adhibitis ex eodem codice eis locis, quos similibus librarii erroribus depravatos esse aut certum aut veri simile sit. Supersunt autem multi alii loci graviter corrupti, quos, quoniam de scriptura eorum ex codice ipso nihil novi habeo quod proferam, ab hominibus artis criticae peritis sola divinatione et coniectura, si modo id umquam probabiliter fieri poterit, sanari opus est. De quibusdam eorum locorum quae iudico aut in mentem mihi venerunt, ea retento ordine locorum huic disputationi immiscebo, sicut idem iam in priore parte hic illic feci. Separatim autem disseram primum de lacunis quibusdam, deinde de eis scripturis, quae in margine codicis extant, postremo de vocalium *ae* et *oe* scriptura.

II 4, 16 de legionibus Muciani, legati Syriae, haec leguntur: *quattuor Mucianus obtinebat in pace, sed aemulatio et proximi exercitus gloria depulerat segnitiam, quantumque illis roboris discrimina et labor, tantum his vigoris addiderat integra quies et inexperti belli labor.* Quid in locum ultimi vocabuli, quod ex praecedenti versu errore iteratum esse apparet, substituendum sit, incertum est. Alii alia suspicati sunt: *ardor, amor, favor, honor, angor, dolor, velut labes*; Nipperdey deleto vocabulo scripsit *et inexpertum bellum,* i. e. et id ipsum quod bellum expertae non erant. Atque hoc quidem satis placet, nisi quod et a prodita scriptura iusto longius recedit et verbis *integra quies* nihil novi addit. Ego cum aliquotiens in hoc codice repetito ex praecedentibus aliquo vocabulo genuinam vocem sono illi aliquatenus similem textu pulsam esse meminissem (I 37, 18 *quae In castris* = *quae castra*; praecedit enim *In castris*; IV 16, 5 *nec Brinnonem ducem eius belli, sed Civilem eius* [oportebat scribi *esse*] *patuit*; V 21, 8 *germani* = *Veraci,* illud enim paullo ante legitur; V 22, 15 *nave* = *noctem*; nam *navem* librarius proximo versu scripserat), inveniendum esse aliquod vocabulum statui, quod et sono simile esset vocabulo errore iterato et sententiam ita expleret, ut non modo integram quietem, verum etiam aemulationem et proximi exercitus gloriam illis legionibus depulsa segnitia vigorem addidisse significaret. Id vocabulum nescio an sit *rubor* potius quam *dolor*; nam *inexperti belli rubor* est 'das beschämende Gefühl, dafs sie nicht (wie das benachbarte Heer) ihre Kraft im Kriege erprobt hatten'; cf. II 22, 13 *pudore coeptae temere oppugnationis.*

Etiam I 2, 1 *opus adgredior opibus casibus, atrox proeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace saevom* id vocabulum, quod fuit ante *casibus*, repetito ex initio enuntiati vocabulo *opus* eiusque terminatione sequenti vocabulo adaequata periisse reor. Id primus suspicatus est Novák idemque eam sententiam, quam res poscere videtur, bene restituit cum scriberet *opus adgredior grave casibus*. Nam *opimum casibus*, quod vulgo scribunt, propterea spernendum est, quod cum reliquis tribus orationis membris parum convenit. Vitia enim ac mala temporum quae enarranda sibi proposuit scriptor persequitur, ac tempora illa sicut atrocia proeliis, discordia seditionibus, ipsa etiam pace saeva, ita gravia fuerunt casibus. Non scripsit Tacitus *fecundum proeliis, refertum seditionibus, ipsa etiam pace saevitiae plenum*; itaque ne id quidem scripsit, quod ei imputant: *opimum casibus*. Probabilitatis parum habet Novákii suspicio; abest enim quantulacumque litterarum ac soni similitudo. Fateor; at idem ad sententiam nihil adhuc aptius inventum esse indico.

Interdum repetitione praecedentis alicuius vocabuli ex genuinis nullum depulsum est. Eius generis hi loci sunt: II 22, 13 *infracta partium fama. et Caecina [fama] pudore;* Ann. XIII 57, 16 *non si imbres caderent, non [si] fluvialibus aquis,* XIV 38, 16 *cuius adversa pravitati ipsius, prospera ad fortunam [ipsius] referebat,* XV 66, 1 *ceterum militaris quoque conspiratio non ultra fefellit accensis [quoque] indicibus.*

Etiam syllabarum prave repetitarum duo genera sunt. Nam aut repetitio syllabae iacturam genuinae syllabae traxit: II 19, 9 *non tam culpam exprobrans quam rationem extendens* (librarius ipse *ex* in *os* correxit); II 41, 18 *incertus undique clamor adcurrentium, clamantium* (quod ipse aliquo modo in *vocantium* correxit); Ann. XII 39, 1 *cohortes expeditas exposuit* (*opposuit* Lipsius); XV 3, 3 *compositius cuncta confestinantius* (oportebat scribi *quam festinantius*); eidemque generi vitiorum attribuo quae scripta sunt H. III 55, 9 *Latium externis dilargiri; his tributa dimittere, aliis . . .*; bene enim Nipperdey *remittere*. Aut ex repetitione praecedentis syllabae nulla iactura orta est: I 76, 21 *ceterae civitates secutae. Sic distractis [civi] exercitibus* (*civi* ipse delevit); IV 53, 8 *dein virgines Vestales cum pueris puellisque patrimis matrimisque aqua[trimis] e fontibus amnibusque hausta perluere* (*trimis* delevit Baiter), V 3, 8 *crederent, primo cuius auxilio [credentes] praesentes miserias pepulissent.* Eiusdem generis sine dubio haec sunt: I 67, 1 *plus praedae ac sanguinis [prae] Caecina hausit* (nam utroque loco syllaba *prae* per compendium scripta est; cf. Novák JB. XVIII p. 225, Purser JB. XIX p. 199); III 74, 14 *confossum [con]laceratumque* (*con* bene expunxit Nipperdey; nam verbum *conlacerandi* finxisse Tacitum aegre mihi persuadeo).

Minus saepe ex eis quae secuntur aliquid praecepit librarius. Certa exempla vocabulorum praeceptorum haec sunt: I 16, 23 *utilissimus [bonarum] idem ac brevissimus bonarum malarumque rerum delectus est*; Ann. XIII 5, 3 *ne designatis [quidem] quaestoribus edendi gladiatores necessitas esset. quod quidem . . .* Eodem vitio, id quod nuper (JB. XXV p. 276 adnot.) monui, irrepsisse credi potest vocabula *hostium* IV 58, 3, *mortem* II 94, 12 (falso Halm *morte*), *hominum* Ann. I 59, 13. — H. IV 42. 5 litteras *e x͠Sc*, quas codex habet inter *sponte* et *accusatio*, G. Heraeus (v. JB. XIII p. 108) ex duplici scriptura archetypi, in quo librarius *exscusatio* superscriptis litteris *acc* invenerit, ortas esse et originem vitii ex vocabulo *extulerat* repetendam esse scite coniecit. Poterat conferre Agr. 16, 18, ubi in codice Vaticano 4498 *excusationem* corruptum est in *acusationem*. Nec tamen illa explicatio certa est. Nam is qui codicem scripsit, etsi inter *e* et *x* breve intervallum reliquit, tamen, cum illas litteras scriberet, intellegi voluit *ex senatus consulto*. Nam *senatus consultum* scripsit *S͠c* etiam Ann. XIII 32, 1. 41, 18. 49, 1 (idem XIV 41, 7 aliisque locis ea

vocabula exscripsit). Sed unde inrepserit illud *ex senatus consulto,* non assequor: hoc ego quoque mihi persuasi eiecto illo additamento scribendum esse: *sponte accusationem*; nam emendandi munus nemini adhuc prospere cessit. — V 20, 13 in fine versus scriptum est *defendere,* in initio novi versus *aInterim.* Littera *a*, quam sunt qui male in *et* mutaverint, delenda est. Est enim prima littera vocabuli *ambiguum*, quod ex sequentis enuntiati initio errore praeceptum librarius scribere coepit.

Praeceptarum syllabarum haec exempla inveni: II 16, 5 *iuravere* (debebat *iuvare*; invenitur *iuravere* sex versibus post); III 9, 17 ante *simul* scriptum fuit *fo*, ex quibus litteris prior duabus lineolis deleta est; post quattuor versus scriptum est *fortunae*; Ann. XII 69, 9 codex praebet *imperator consultatur* (*consalutatur* Puteolanus). *sententiam militum secuta patrum consulta.* De eis quae H. I 85, I in codice scripta sunt *et oratio per od perstringendos mulcendosque militum animos* verissime mihi iudicasse videtur E. Wolff WS. f. klass. Phil. 1885 p. 1558. Nemo enim *per* illud, quod est ante *od*, probabiliter emendavit. Videtur errore praeceptum esse, *od* autem, quod nemo negat, in *ad* mutandum. Quamquam sic audaciorem gerundivi substantivo adiuncti usum admitti fatendum est. Attamen genere haud diversa sunt alia exempla, velut H. III 70, 5 *fratris domum inminentem foro et inritandis hominum oculis*, i. e. domum, quae, quia imminebat foro, hominum oculos facile inritaret.

II 38, 18 Ritter in codice *veniam* in *venio* correctum esse adnotat; Meiser *veniu*·; invenisse se dicit ac iuxta *u* recentiorem manum scripsisse *o*. Neuter vere. Sic enim res se habet: librarius cum scripsisset *ueniunt,* litteras *nt* ita extinxit, ut hodie palleant; mox his ipsis litteris imposuit ·,· signum interpunctionis, cuius prius punctum locum posterioris hastae litterae *n* — nam prior intecta mansit — posterius locum litterae *t* obtinet (similiter Ann. XIV 44, 10 postquam *agere* corrupit in *agerent,* litteras *nt* extinxit ac posteriori parti litterae *n* punctum imposuit, signum interpunctionis; et H. II 48, 7, ubi scribendum fuit *parce nec ut periturus,* cum scripsisset *parcens ne cui periturus,* litteras *ns* extinxit et eodem illo loco, ubi fuerat posterior hasta litterae *n*, punctum posuit). Haec certa sunt. Mutaveritne postremo *u* in *o*, dubium, attamen probabile. Meiser cum iuxta *u* scriptam esse litteram *o* sibi persuaderet, deceptus est aspectu interioris partis litterae *n*, quae aliquatenus similis est litterae *o*. Accedit alter error, in quem saepe ille incidit; neque enim ulla recentior manus hunc locum attigit. Itaque quoniam manu librarii *veniunt* in *veniu* vel potius *venio* mutatum est, nulla est dubitatio, quin Tacitus scripserit *venio*, quod bene Meiser dicit audacius a quibusdam mutatum esse in *redeo*. Nihil enim Tacitum hoc loco eodem verbo uti coegit, quo usus est loco simillimo Ann. XII 40, 25.

Haud absurdum est quaerere, cuius generis error ille librarii sit, quo *venio* corrupit in *veniunt*. Nimirum prima atque etiam secunda verbi persona ei, qui veteris scriptoris annales rerum gestarum scribebat, adeo non fuerunt familiares, ut saepe eas velut caeco animi impetu actus in tertiam personam, cui tot exemplis adsueverat, mutaret. Sic III 36, 5 cum scribendum esset *suggeras*, scripsit *suggerant* (sed correxit); I 37, 1. II 37, 8. III 28, 2 *processerim, concesserim, discreverim* corrupit in *processerit, concesserit, discreverit* idemque correxit. III 46, 14 *transegimus* correxit ex *transegit*. V 26, 13. Ann. XIII 9, 20. XVI 31, 8 cum scripsisset *movit, coniunxit, dedit,* in exitu horum vocabulorum *t* obliquis lineolis delevit; ac bene Acidalius Ann. XIII 32, 7 cum reliqua emendavit tum *rettulit* in *rettuli* mutavit.

Quae cum ita sint, quoniam eadem illa obliqua lineola littera *t* in vocabulo *adfirmavit*

H. IV 73, 3 manu librarii deleta est, auctor non sum, ut Nipperdeium sequamur (quod nostrates editores omnes fecerunt, Gantrelle et Spooner non fecerunt), qui neglecta librarii auctoritate non solum *t* restituit, sed etiam *populi Romani* mutavit in *populus Romanus* ac totum locum sic conformavit: *neqùe ego umquam facundiam exercui et populus Romanus virtutem armis adfirmavit*, cum codicis scriptura haec sit: *neque ego umquam facundiam exercui et populi Romani virtutem armis adfirmavi*, quam quominus teneamus nihil nos impedit. Magno enim duce et qui sibi conscius esset in se esse positam populi Romani famam, postquam modo Treveros Rigoduli vicit (IV 71) dignum fuit dicere se populi Romani virtutem armis (potius quam verbis) adfirmavisse. De verbo adfirmandi cf. Ann. XIV 22 *secutaque anceps valetudo iram deum adfirmavit* ('legte Zeugnis ab'). Nipperdeium suspicor pronominis *ego* collocatione deceptum esse, quam eam esse putavit, ut in altero membro orationis novum subiectum requireretur; ac, si hunc ordinem invenisset: *ego neque umquam* e. q. s., nihil, ut opinor, mutasset. At pronomina suis legibus collocationis parent a reliquorum vocabulorum consuetudine seiunctis, cuius rei simile exemplum praebet vicinus locus IV 74, 12 *vitia erunt, donec homines; sed neque haec continua, et meliorum interventu pensantur*. Nam ne hic quidem novum subiectum sequitur, nec tamen scriptum est *sed neque continua haec* nec *sed haec neque continua*.

Hic locus paucorum aliorum locorum me admonet, in quibus aut omnes aut plerique a prodita scriptura iniuria discessisse mihi videntur. I 60, 4 perperam vulgo scribunt *proruperat*. Nam inter *a* et *t* librarius *n* superscripsit, quam litteram nigriore atramento manus recens renovavit. Restituto plurali numero *proruperant* haud absurde ita amplificatur sententia, ut quod modo tantum de Roscio Caelio dictum sit, idem etiam de Trebellio Maximo dicatur. Itaque quae mox produntur de foedis legatorum certaminibus ac de eis quae alter alteri obiecerit, ea explicandi causa adscripta sunt verbis *atrocius proruperant*. I 88, 14 sunt qui *instrumenta* scribant, cum quod codices praebent (nam hoc loco deest Mediceus), *instrumentum*, nihil habeat quod displiceat. — II 86, 17 *quietis* nemo retinere ausus est, quia credi non posse videbatur eum, qui non tam praemiis periculorum quam ipsis periculis laetus pro certis et olim partis nova ambigua ancipitia maluisset, prima inventa quietis fuisse cupidum. Itaque alii Grotium secuti *quaestus cupidine* scripserunt, alii ex Meiseri coniectura *inquies cupidine*. At nulla re prohibemur, quominus Cornelium Fuscum procedente aetate studia adulescentiae abiecisse et contrarium vitae genus iniisse credamus. Quid quod scriptor ipse talem mutationem morum factam esse et eo indicavit, quod *prima iuventa* addidit, unde iure colligimus Fuscum postea aliis rebus studere coepisse, et eo quod quid postea fecerit enarraturus in initio sententiae pronomen *idem* posuit, cuius vim adversativam cum aliis locis tum Ann. VI 51, 14 sentimus, ubi varia ac paene diversa tempora morum Tiberii describit, sicut hic Cornelii Fusci. Itaque editoribus suadeo, ut *quietis* restituant. Ceterum non dissimulandum est v. 21 librarium non modo *periculum* in *periculis*, sed etiam *laeti* (videtur enim *laetis* scripturus fuisse) mutasse in *laetus*. Nam contra *laetus* eum mutasse in *laeti* ne credamus et ipse adspectus litterarum monet et quod sequitur *malebat*, quod, si illud credi oporteret, in *malebant* mutandum esset. Itaque haec de uno Fusco traduntur; quae secuntur (*igitur . . . adgrediuntur*) de Antonio et Fusco. — II 87, 8 *regetur*, quod in *regeretur* omnes mutaverunt, videtur retineri posse, modo in universum haec dici statuas et ante *inhabilis* leviter interpungas: 'eine Begleitung, die selbst dann nicht zum Gehorsam angethan zu sein pflegt, wenn sie einmal in scharfer Zucht gehalten wird (was hier nicht der Fall war)'. — V 21, 10

ut iussum erat ex editione principe omnes receperunt. In Mediceo est *et iussum erat*, quod ego verum esse puto. Nimirum scribendum est: *Ne tum quidem Romana classis pugnae adfuit. Et iussum erat; sed obstitit*: 'und dabei war es doch ausdrücklich angeordnet worden; aber (der Befehl war nicht ausgeführt worden; denn) im Wege stand' . . . Cf. Agr. 15, 14 *sic Germanias excussisse iugum, et flumine, non Oceano defendi*: 'und dabei würden sie doch nur durch einen Flufs, nicht durch den Ocean verteidigt'. Ann. IV 34, 19 *et uterque . . . perviguere*. Verba *sed obstitit* eandem vim habent Germ. 34, 10 *nec defuit audentia Druso, Germanico, sed obstitit Oceanus . .* H. IV 78, 13. Atque etiam absurdum mihi videtur *ut iussum erat*, quod vulgo legunt; nam si verum esset, postularem, ut scriberetur *obstitit enim* potius quam *sed obstitit*. Nunc vero, quoniam *sed* in codice est, praecedat necesse est enuntiatum, ut ita dicam, sui iuris (*Et iussum erat*), non subiunctum eis quae antea dicta sunt (*ut iussum erat*). Hoc quid valeat, intelleget qui lexicon Taciteum p. 1457a inspexerit. Ibi enim hunc locum eis locis immixtum inveniet, ubi *sed* negativam aliquam particulam (*non, neque, ne . . quidem*) sequitur ac nostro vocabulo 'sondern' respondet. Ex horum exemplorum numero segregandum esse eum locum, de quo agimus, facile apparet; nam verbis *sed obstitit* non opponitur id quod factum est ei quod non est factum, sicut ceteris locis, quos ibi collectos habemus ('sondern'), sed significatur, quae causa fuerit, cur imperio non pareretur ('aber').

II 39, 7 de correctione, qua effectum est *exequi*, vera tradidit Meiser. Sed antequam eam lineolam, quae pervadit litteram *q*, et notam litterae *m* deleret librarius, scripserat *exequium*, non *exequiuim*; nam litterae *m* nota adiuncta est litterae *u*, non litterae *i*, quam post correctionem librarius addidit. In eadem syllaba *qui* per compendium scripta erravit IV 64, 16, cum *quicquam* corrumperet in *quicquiuam*. Sed sitne IV 60, 10 *at qui ipsos* recte mutatum in *atque ipsos*, dubito. Duo enim genera custodum hoc loco inter se discernuntur (id quod scite monuit Wolff), quorum alii pecuniam calones sarcinas in castris retinere, alii leves abeuntes Romanos prosequi iussi sunt. Horum generum alterum ab altero apertius separabitur, si scripserimus *et qui ipsos*. De pronomine relativo etiam alius locus pauca adnotandi occasionem mihi praebet. II 32, 2 in verbis *tunc Suetonius Paulinus dignum fama sua ratus, qua nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur, de toto genere belli censere, festinationem hostibus, moram ipsis utilem disseruit* plerique sine dubio enuntiatum relativum ita interpretantur, ut *qua . . . habebatur* idem esse existiment quod *quae tanta erat, ut nemo . . . haberetur*. Haec interpretatio possitne aliorum locorum similitudine defendi, dubito. Neque enim similes sunt hi loci: *vetere apud Germanos more, quo plerasque feminarum . . . arbitrantur deas* (H. IV 61, 9) aliique eiusdem generis. At similes hi sunt: H. II 55, 12 *gratior Caecinae modestia fuit, quod non scripsisset*. II 74, 8 *namque omnis exercitus flammaverat adrogantia . . . militum, quod . . . ceteros ut impares irridebant*. V 4, 7 *sue abstinent memoria cladis, quod* (*qua* superscr. m. rec.) *ipsos scabies quondam turpaverat*. Atqui his tribus locis Tacitus *quod* scripsit, non *qua*. Similis usus est particulae *quia*, quae haud raro apud Tacitum idem valet quod *quippe*. Exemplorum ei loco, de quo agimus, simillimum hoc est: *nimia luxus cupido infamiam et periculum Neroni tulit, quia fontem aquae Marciae . . . nando incesserat* Ann. XIV 22, 19, cf. XV 65, 7. 69, 5. Etiam *quando* eandem vim habet (H. I 90, 10. IV 6, 1). Itaque H. II 32, 2 scribendum est *quia nemo*, i. e *quippe nemo* vel *nemo enim*, totumque illud enuntiatum *quia . . . habebatur* parenthesis loco verbis *fama sua* explicandi gratia additum est. Particulae *quia* in *qua* corruptae duo alia in hoc codice exempla sunt: Ann. XII 64, 11. XV 72, 9. Accedunt

ex Mediceo primo duo: Ann. III 54, 13. VI 10, 1. Ex editoribus illum locum, quem modo emendavimus, nemo attigit praeter Wolffium, qui cum intellexisset *qua* non posse referri ad voc. *fama sua*, id quod reliqui omnes fecerunt, *qua* particulam esse statuit similem particulis *quatenus* vel *quoniam* eandemque particulam Ann. VI 10, 1 et XV 72, 9 extare contendit. Id nemini persuasit (cf. JB. XV p. 237) nec quisquam editorum illis Annalium locis *qua* intactum reliquit.

II 42, 8 totum vocabulum *incubuit* in fine versus ipse librarius scripsit; nihil supra versum additum est, nullum recentioris manus vestigium. Nec est cur in voc. *coercere* II 82, 6 litteras *re*, quae spatium versus excedunt ac propterea paullo artius scriptae sunt, non ab eodem qui reliqua scripsit scriptas esse suspicemur, quo fit ut Meiseri coniecturae (*coercendo*), quae vel per se ipsa haud probabilis est, subsidium detrahatur. Nec III 24, 14 in voc. *ignominia* tres extremas litteras in fine versus addidit manus recentior, ut ait Meiser, quem pallor atramenti decepit; nam forma litterarum librarii manum prodit. Eadem origo est litterae *s* in voc. *bellis* II 44, 4 eademque causa erroris Meiseri. Nec dubium est, quin III 53, 2 in voc. *evilnissent* priorem litteram *s* in fine versus ipse librarius addiderit.

II 46, 15 in voc. *propius* supra posteriorem litteram *p* non scripta est *l* aut aliud quicquam ei litterae simile, sed *i*, qua littera addita ex *propius* efficitur *propriius*[1]), abundante altera littera *i*, sicut etiam Ann. XIII 57, 5 initio scriptum fuit *propriius*; nam supra posteriorem *p* litteram rasura est, sub qua quin *i* lateat, dubium non est. Eodem modo H. V 2, 13 postquam a librario scriptum est *propriora* (cum deberet *propiora*), manus recentior addita supra versum littera *i* effecit *propriiora*. At H. II 68, 8 librarius cum *prop* scripsisset, videtur *ri* scribere coepisse, in conatu tamen ita substitisse, ut tantum *i* voluerit legi. Mox *o* addidit, tum novo errore *ri* scripsit, quibus litteris *a* (non *x*) ita adiunxit, ut esset loco litterae *i*. Itaque recte scripsit *propiora*. Ann. XIII 57, 19 *propius* corrupit in *proprius*. Eundem errorem is qui primum Mediceum scripsit commisit in voc. *propiores, propior, propius, propior* Ann. I 24, 13. 34, 1. 35, 20. II 28, 3; sed idem litteram *r* primo loco radendo, ceteris locis puncto supposito sustulit.

H. II 49, 7 in voc. *digrederentur* post *d* litteram *e* librarius correxit non ex *i*, ut ait Meiser, sed ex *r*, quam litteram errore praeceperat. Id et forma rasurae et figura superioris partis litterae *e* docent, in quam recepta est dextra pars litterae *r*, quae antea scripta fuit.

II 49, 8 in voc. *sedauit* post *a* rasuram esse Meiser vidit. Eam explicat forma litterae *a* litterae *d* praeter consuetudinem adiunctae. Scilicet cum post *d* scripsisset *ui* omissa littera *a*, intellecto errore ex *u* fecit *a* relicta ea parte, quae litterae *d* proxima est; litterae *i* maximam partem erasit, superiorem reliquit, ut esset pro dextra parte litterae *a*; postremo addidit *uit*. Ac sicut hoc loco *seduit* pro *sedauit* scripturus erat, ita II 100, 13 *patui* pro *Pataui* scripsit; cf. *batuorum* = *Batauorum* Ann. II 6, 11.

II 56, 3 *In omnelas nefasque* scriptum esse dicunt, ita tamen ut in extremo vocabulo *n* correcta sit ex *si*. Id non redarguit aspectus loci, sed res ipsa. Credibilius est librarium — nam id quoque adspectus loci credi patitur — cum scripsisset *f*, eam litteram mutasse in *n*, mox addidisse *efasque*. Ceterum antea *fas* in *Ias* corruptum est. Eiusdem corruptelae haec exempla sunt: *Iecisset* = *fecisset* II 95, 5, *Iacies* = *facies* III 83, 7 (*fa* superscr. m. rec.), *Ierebatur* = *fere-*

[1]) nam *p* superscripta littera *i* est *pri*, sicut *t* superscripta *i* = *tri*. Hoc compendio scriptum est Ann. XV 56, 8 *oprimendum* et XI 26, 7 *patriam*, cum deberet scribi *paria* (sequitur *metuentes*; haud recte Ritter), *proprio* H. II 97, 4, *pririma* = *prima* H. IV 3, 18, *triributis* = *tributis* Ann. XII 34, 7, *pridem* H. I 16, 3.

batur Ann. XV 45, 10 (om. Ritter); cf. *superiori unam* = *super fortunam* H. V 1, 4, *eventior te* = *evenit forte* I 31, 2. Ex *lecerant* XII 62, 3 Ernesti haud improbabiliter effecit *fecerant* (alii *icerant*). Harum corruptelarum similitudo rursus me dubitare cogit, an Lipsius XI 9, 10 recte *laciunt* mutaverit in *faciunt*.

II 65,4 *Hilarius* Caesaris libertus nominatur. Sic enim priores id nomen in codice legerunt; falso illi quidem. Nam librarius postquam *hilari* scripsit, errore perspecto posteriori parti litterae *ri*, quam uno ductu scripserat, ita imposuit *u*, ut dubium non sit, quin *ri* in *ru* correxerit; postremo addidit *s*. Itaque liberto illi nomen fuit *Hilarus*. Prorsus eundem adspectum praebet *ri* in *ru* correctum in voc. *utrumque* IV 81, 23 et *parum* IV 83, 12 (scilicet sono eius vocabuli quod sequitur — *gnaris* — inductus coeperat *paris* scribere). Similiter *ri* in *re* correxit in voc. *severe* I 48, 18, *mereri* II 48, 12 (*meri* enim scripserat), *adire* II 82, 5, ubi scripserat *adiri*, quoniam *hortari* sequitur; *transire* IV 28, 4, quod contra in *transiri* correctum esse Meiser dicit, haud recte ille quidem, ut mihi videtur.

Ceterum quoniam huic liberto suum nomen reddidi, editores moneo, ut etiam nominis *Vulcacii Tertullini* (vel *Tullini*) veram formam spernere tandem desinant (H. IV 9. Ann. XVI 8). Mediceus alter veram formam (per *c* scriptam) praebet ubicumque gens Vulcacia commemoratur, in primo Mediceo perperam *Vulcatius* scriptum est Ann. IV 43. Cf. Prosopogr. Imp. Rom. III p. 473. 474. De nomine *Tertullini* autem Meiseri testimonium ad H. IV 9, 6 corrigendum est. Nam *i* post *l* librarius non ex *e*, sed ex *u* correxit, quam litteram ex priore syllaba arripuerat (idem cognomen, non *Tertullum* aut *Tertullianum*, ei legato Caesaris fuisse suspicor, qui commemoratur in titulo quodam in Armenia minore reperto, v. Yorke, Inscriptions from eastern Asia Minor, Journal of Hell. stud. 18 p. 320).

II 68, 11 librarium *spectandu convenerant* correxisse dicunt ex *spectaculum venerant*. Parum accurate illud quidem; neque enim umquam *spectaculum venerant* scriptum fuit. Vera haec sunt: librarius postquam scripsit *spectaculum*, inter *a* et *c* supra versum addidit *n*, *c* mutavit in *d*, *l* correxit in *c* (quae littera propter id ipsum multo altior est quam esse solet), *u* in *o* correxit, notam litterae *m* delevit, *nvenerant* addidit. Sic effecit *spectanduconuenerant* hoc uno errore commisso, quod litterae *u* post *d* notam litterae *m* adiungere oblitus est. Hoc modo manum librarii per litterarum ordinem secuti id adepti sumus, ut fidem verbi *convenerant*, quod insuper sententia commendat ac simplici verbo praeferri iubet, auxerimus.

II 70, 7 bene Doederlein *lauru rosaque constraverant*. Quid quod ipse codex hanc egregiam emendationem confirmat? Nam in voc. *rosasque* brevis lineola litterae *s* ante *q* ab inferiore parte adiuncta cernitur, qua quidem librarius eam litteram delevisse putandus est.

II 76, 4 plerique recte *inchoatur* scribunt, Halm male *inchoaturi* (quod Ritter supplevit addito *sunt*). De scriptura codicis recte Meiser: '*Inchoaturi*, sed *ri* in *r* corr. 2 m.', nisi quod correctio librario ipsi debetur. Idem librarius *uxori* correxit in *uxor* II 60, 16, *splendiori* in *splendior* II 76, 20, ubi id vocabulum quod sequitur — *origine* — praecepisse videtur, *rumori* in *rumor* Ann. XV 15, 15 (om. Ritter), atque eundem errorem commisit nec correxit XV 39, 11, ubi male Ernesti et Ritter *rumor in*.

II 81, 3 *Antiochus vetustis opibus ingens et inservientium regum ditissimus*. Reges Orientis serviebant, non inserviebant. Verbum inserviendi et alienum est ab hoc loco nec dativo umquam caret (Dial. 28, 16 *inservire liberis*. Ann. XVI 27, 10 *hortorum . . . amoenitati inserviret*). At servire

dicuntur exterae nationes a populo Romano domitae. Hanc vim habet *servientium* Agr. 30, 10. 32, 23. H. V 8, 6. IV 32, 14. Ac sicut nationes illae, ita etiam reges earum serviebant. Ergo recte Novák in editione primi et secundi libri Historiarum (Pragae 1892) illo loco, unde digressi sumus, *inservientium* mutavit in *servientium*. Huius emendationis fidem congestis similium librarii errorum exemplis augere facile est. Nam sicut hoc loco *Ingens et Inservientium* scripsit, cum scribi oporteret *Ingens et servientium*, ita II 55, 3 *quod erat In urbe militum Insacramento* (*sacramento*), III 10, 4 *Inadversa fronte valli opus cesserat, et visi Inprocul* (*In* in initio versus ipse delevit), III 21, 8 *In ipso viae Postumiae aggere iubet. cui Iuncta Inalae uo* (*a laevo*), Ann. XIII 53, 13 *Inferret Instudiaque* (*studiaque*), XIV 11, 5 *periculaque viris Illustribus Instruxisset* (*struxisset*), XIV 33, 13 *Intutum, laeti praeda et aliorum Insignes* (*segnes*), XIV 44, 3 *Interficiendi domini animum Insumpsisse* (*sumpsisse*). Atque ut his locis syllabam *In* male repetivit, ita aliis male praecepit: H. I 54, 4 *modo Insuas Iniurias* (*suas*), II 83, 12 *Inlitora Infestis* (*litora*). In eodem genere errorum eum locum pono, quem Madvig IV 65, 15 prudenter correxit, cum *Invetustatem consuetudine* mutaret in *vetustate in consuetudinem*. Scilicet syllaba *In* praecepta ex *Invetustate In* factum est *Invetustatem*. Quaerat quispiam, qui tandem factum sit, ut syllaba *In* a librario tot locis errore bis scriberetur. Fortasse ea syllaba propter altitudinem litterae *I* — numquam enim haec syllaba *ĭ* brevem habet — in oculos eius incurrebat.

II 91, 3 $\widetilde{ag}$ (i. e. *Augustas*) in codice scriptum esse produnt. At non deest littera *u*. Nam litterae *a* a dextra parte adnexus est apex idem, quem in nomine *Plautii Laterani* Ann. XIII 11, 5 in programmate a. 1892 p. 10 adnotavimus. Eadem diphthongi *au* forma est in exitu versuum H. IV 32, 10. 52, 10. 61, 14 in vocabulis *exhausisset, haud, pauci*. Itaque hic, sicut aliis locis, plenum est compendium $\widetilde{aug}$.

II 95, 11 bene Palmerius *sumptu ganeaque*, minus probabiliter Meiser *sumptu, gula ganeaque*. Nam quod Mediceus habet *sumptu galane aque* repetita syllaba *ga* ortum est [1]). Posteriorem autem syllabam *ga* corrupit in *la*, sicut II 4, 4 *perambales* = *per ambages* scripsit, III 27, 13 *compale* (*g* superscr. ipse), Ann. XV 37, 12 *lestus* = *gestus*; H. IV 26, 10 in voc. *conlungitur* pro *g* coepit *l* scribere. Rursum nonnumquam *g* in locum litterae *l* substituit, velut XIV 50, 1. 6 *vegento* et *vegentone* scripsit, XVI 14, 12 *antegi*, ubi *g* in *l* correxit.

III 34, 1 codex habet *Cremonam*, quod cum recte adnotatum esset a Rittero, a Meisero errore praetermissum est. Idem duobus versibus ante (III 33, 16) *Cremonam* a librario ipso in *Cremona* correctum esse non dicit. Nec III 34, 8 *crebescente* Mediceus habet, sed *crebrescente*. Utrumque recte adnotaverat Ritter. Subiungo haec: I 37, 5 in voc. *ad* non modo *n* superscripsit

---

[1]) Cf. *barbagioram* = *Bargioram* V 12, 13, *dedecus* — *decus* I 51, 9, *Ininerti* (sic enim ego legi) I 62, 7, *mamathematicos* I 22, 10, *paparantibus* II 69, 6, quod ipse correxit, *ma marci* II 71, 9, ubi *ma* extinctum est, *tututior* III 31, 7 (*tu* del. ipse), *se senatores* III 58, 21, *fufuturorum* IV 69, 13. Idem librarius syllabas in mediis vocabulis sitas haud raro bis scripsit. Exemplis a Meisero passim relatis haec nova addo: III 39, 9 *Inturbi* (hic est finis versus) *bidus*; IV 65, 8 *provincinciis* scripturus prinsquam extremam litteram scriberet, errasse se sensit; itaque tres ultimas litteras (*cii*) lineolis delevit, *n* correxit in *is* ac sic effecit *provinciis*; III 77, 15 in voc. *gladio* *o* correxit ex *d*; nimirum *gladidio* scripturus fuerat; I 38, 3 in voc. *vidistis* s(*t*) correxit ex *d*; III 5, 9 in voc. *sueborum* *b* ex *s*, non ex *p*, ut ait Meiser: sicut *x* ex *n* in voc. *noxia* III 35, 1. Etiam tota vocabula in confiniis paginarum bis scripsit, cuius erroris duo nova exempla inveni: I 79, 3 *magna* iteravit; I 66, 2 cum in fine paginae 57, 1 scripsisset *restin* et in imo margine addidisset *qui posset*, in initio paginae 57, 2 scripsit *gui posset* (cf. IV 20, 1 in voc. *propiaquarent* *q* correctum ex *g*).

librarius, sed etiam *d* delevit, II 65, 8 cum *ipsum* scripsisset, non modo notam litterae *m* sustulit, sed etiam *u* correxit in *o*.

III 48, 5 *Chobi* librarius corrupit in *cohibi*, de verbo *cohibendi*, opinor, cogitans. Quae supra *i* (post *h*) cernitur brevis, sed crassa lineola, eam existimo esse initium litterae *b*, quam si absolvisset, haberemus *cohbi*, quae forma nominis propius ad veram accedit, quam ea quae nunc in codice est[1]).

III 53, 10 in verbis *per diem noctemque* nihil est quod reprehendas. Nam uno die eaque nocte quae secuta est Antonius Vitellii legiones primo equestri procella, mox peditum vi fuderat (III 16—25) ac parta victoria fessum per diem noctemque exercitum (III 26, 6), sed morae impatientem, moenibus Cremonensium obiecerat. Itaque de hoc loco tacerem, nisi in codice *diem* manu librarii in *dies* mutatum invenissem. Atque idem hoc loco eius correctionis aspectus est, qui ceteris locis oculis occurrit, ubi librarius notam litterae *m* in *s* correxit: II 33, 1 *Celsus*, 49, 13 *volnus*, IV 13, 2 *Fonteius*, 40, 18 *honestius*, 81, 1 *Vespasianus*, Ann. XV 45, 13 *egressus* (om. Ritter), 54, 16 *animus* (om. Ritter). Unde oritur dubitatio, scripseritne Tacitus *per diem noctemque* an *per dies noctesque* (nam quod codex testatur, *per dies noctemque*, ferri posse nego). Ego ut pluralem numerum singulari non praepono, ita eum cum more orationum, cui etiam epistulae parent, haud male congruere existimo. Cf. *liberos meos* Ann. I 42, 3 in contione Germanici unum Caligulam significantis, *triumphales avos* XIV 1, 9, quo plurali Poppaea neminem praeter Poppaeum Sabinum, maternum avum suum, intellegi vult.

III 66, 12 plurimi *extincto aemulatore redituram* scribunt, Nipperdey Heraeus Mueller Rhenanum secuti *extincto aemulo redituram*; nec desunt qui Lipsii coniecturam *extincto aemulatu redituram* probaverint. Et haec quidem coniectura procul habenda; iure enim postulamus hominis potius quam studii significationem. Itaque hoc tantum quaeritur, sitne *aemulo* an *aemulatore* praeferendum. Vocabulum *aemulator* nullo alio loco apud Tacitum reperitur, nec hoc loco amicis Vitellii significandus fuit is quem nos dicimus Nacheiferer, sed is quem Nebenbuhler appellamus. Eum autem Tacitus *aemulum* dicit, quo vocabulo saepe eum appellat, qui cum altero de principatu

---

[1]) Mirum est, quotiens librarius nomina propria in quandam similitudinem appellativorum corruperit. I 39, 8 *Laco* corrupit in *loco*, quod manus recens correxit, I 50, 11 *Pharsaliam* in *pars aliam*, I 58, 6 *Belgicae* in *belligicę* (etiam IV 20, 8 in voc. *belgarum* litteram *l* iterum scribere coepit; nam super *g* non est *i*, ut ait Meiser, sed coepta *l*. Multa sunt exempla litterae *l* coeptae scribi: I 86, 12 in voc. *publico* post *p*, II 91, 14 *Inauxilium* post *au*, IV 62, 22 *voculae* post *o*, V 24, 2 *civilis* post *ci*, Ann. XV 29, 15 *oculis* post *o*. Eiusdem erroris in primo Mediceo exempla sunt. Causa omnibus locis perspicua est. H. IV 59, 5 et 79, 23 in voc. *legatos* et *lacerabant* litteras *t* et *r* librarius non ex *b* correxit, ut ait Meiser, sed ex *l*), II 24, 1 *Celsi* in *consilii*, II 24, 8 *Castorum* in *custrorum* (in quo vocabulo post *tr* coeperat *a* scribere, quam litteram proxime admota littera *r*, quae sequitur, correxit in *o*, sicut II 76, 2 in voc. *multos* — nam *multa* scripserat — admota littera *s*), IV 42, 3 *Crassorum* in *castrorum*, quod in margine correxit, II 63, 8 *Ostiae* in *hostię*, III 9, 3 *Hostilium* in *hostiam*, II 77, 1 *post Valentem* in *postulantem*, II 86, 14 *Tampius* in *Titus amplius*, III 8, 9 *Raetiam* in *praetiam* (nam proximo versu scripserat *pretium*), III 45, 8. 15 *Venutio* in *venusio*, IV 42, 6 *Sulpicia* in *supplicia* et Ann. XIII 52, 2 *Sulpicium* in *supplicium*, H. IV 43, 8 *Crispus* in *scriscus*, quod correxit in *scrispus*, nam ante *u* fuerat c, non *q*; III 2, 27 *reseratam Italiam* in *reserata militiam*, ubi *i* post *l* scripto iam vocabulo, ut videtur, inseruit; IV 45, 2 *Patruitus* in *patrumitus*, quod ipse sublata nota litterae *m* correxit, IV 50. 18. 20 *Oeensium* et *Oeensis* in *offensium* et *offensis*, IV 56, 14 *Claudius* in *gladius*, IV 76, 24. 79, 20 *Classicus* in *classibus* (cf. V 21, 3 *brigantibus* = *Briganticus*), Ann. XII 15, 9 *Siracorum* in *syracusorum*, XII 19, 3 *Aorsorum* in *advorsorum* (XII 15, 10 *adorsorum*, 16, 2 *adorsi*), XII 32, 9. XIV 29, 4 *Silurum* et *Siluras* in *siluarum* et *siluas*, XIII 30, 3 *Cretensibus* in *credentibus*, XV 14, 2 *Pacorum* in *paucorum*, XVI 10, 7 *a Vetere* in *avertere*, XVI 22, 11 *te, Nero* in *tenebo*.

contendit: I 44, 6 (de Pisone et Othone), II 73, 6 (de Vitellio et Vespasiano), 77, 3 (de Muciano et Vespasiano), III 38, 23 (de Vitellio et Iunio Blaeso). Inde probabile est scripsisse Tacitum *extincto aemulo,* sicut Ann. III 8, 3 *remoto aemulo* scripsit, Germanicum Drusi aemulum appellans. Iam quaeramus, utri lectioni magis faveat codicis scriptura. Qui *aemulatore* scribunt, eos facilitate remedii motos esse apparet, quoniam nihil nisi syllabam *re* bis scribi oportebat, sicut I 35, 8 Faernus et Lipsius *corpore sistens* bene mutaverunt in *corpore resistens* et Ann. XII 50, 10 *in tempore rebellaturos* Rhenanus correxit ex *in tempore bellaturos.* At non minus facile aperiemus viam, qua librarius ab *aemulo* possit credi delapsus esse ad *aemulato.* Scilicet extremam partem huius vocabuli praecedentis vocabuli terminationi adaequavit (cuius erroris sat multa exempla congessimus in priore parte p. 11, quibus nunc duo addo, quae praetermisit Meiser: I 24, 1 *animis* post *militum* corr. ab ipso ex *animum,* III 21, 1 *id vero aegro,* quod ipse correxit in *aegre*[1])). Nam cum scripsisset *extato, aemulo* corrupit in *aemulato.* Postea *extato* ita correxit in *extincto,* ut inter *t* et *a* insereret *j*, *n* superscriberet, *a* mutaret in *c*, dextra eius litterae parte obtecta et obscurata. Diversa de hac correctione Meiser tradidit. At littera *x* ab initio scripta fuit, littera *n* corrigentis manum prodit; non enim posita est supra *a* (sic Meiser, quasi fuerit *e tanto*), sed supra *j*, quae littera inter *t* et *a* inserta est.

Eiusdem generis error ea mihi depravasse videtur, quae leguntur IV 2, 18 *par vitiis fratris,* quae cum olim a Faerno emendata essent, male quidam retinuerunt. Nam sicut hoc loco post *vitiis* librarius *fratri* corrupit in *fratris,* ita II 22, 2 *campi* post *armis virisque* in *campis,* III 10, 28 *discrimini* post *litteris* in *discriminis,* III 58, 2 *praetorii* post *praefectis* in *praetoriis,* IV 15, 11 *vibratus* post *humeris* in *vibratis.* Atque his quattuor locis errasse se sensit, illo non sensit[2]).

IV 14, 20 in codice *at tollerent* scriptum esse Meiser adnotavit, cum *attollerent* scribi oporteret. Verum id quidem; at eodem modo IV 59, 11 scriptum est *at tollit,* IV 83, 9 *at tolli,* V 6, 17 *at tolluntur,* V 14, 13 *at tollit.* Nihilo igitur plus valet illa divisio eo loco quo notata est a Meisero, quam eis locis quibus de ea tacet. Cur autem illo uno loco ab eo notata est, ceteris praetermissa? Quia illo uno loco primo obtutu potest videri esse vera. Ceterum librarius etiam alia vocabula, quae duplicem *t* habent, similiter divisit. Solet enim *brit tannia* scribere; nec aliter scripsit *omit tebat* IV 86, 9, *mit titque* IV 21, 3, *lit terę* IV 24, 15.

IV 16, 2 scribendum est *se cum cohorte,* non *sese cum cohorte.* Nam librarius postquam *sesecum* scripsit, ipse posterius *se* delevit. Manum eius arguunt obliquae illae lineolae, de quibus saepe dixi. Harum lineolarum testimonium confirmatur insuper signo interpunctionis, quod cum posterius *se* delevisset, inter utramque syllabam supra versum addidit.

---

[1]) Omnino dici nequit, quot corruptelae vicinarum syllabarum sono effectae sint: I 37, 13 *ad principatum aptulit* (*attulit*), II 11, 15 *ad accupandas* (*occupandas*), II 21, 5 *faces et flandes* (*glandes*), III 21, 2 *egremonensibus,* corr. e *Cremonensibus*; proximo versu praecedit *ęgre*; III 27, 10 *super sapita* (corr. *capita*) *scutis,* III 53, 8 *intersaepta sermanorum* (corr. *germanorum*; idem vitium V 14, 12), IV 53, 19 *sed ut signuntur* (*gignuntur*), III 54, 18 *adgrestis* (*Agrestis*) *ad,* III 44, 2 *ad* (*a*) *prima adiutrice*; I 20, 10 *inquietu* (*inquieta*) *urbs,* I 34, 8 *multa* (*multi*) *arbitrabantur,* IV 50, 17 *sed ub* (*b* in *t* corr.) *obpressisse,* III 1, 13 *sulubri* = *salubri* (cf. *rupudiavit* Ann. I 72, 3), IV 9, 6 *Tertullunus* corr. in *Tertullinus,* quod exemplum iam supra attuli, IV 23, 10 *tustudinem* = *testudinem,* IV 25, 12 *siditiosis* = *seditiosis,* IV 49, 2 *cupuens* = *cupiens,* IV 6, 14 *uurnam* = *urnam.*

[2]) Idem iudicandum est de imperfectis *postulabat* I 82, 20, *vocabat* II 10, 6, *flagitabant* II 68, 22. Illo loco librarius cum *postulauat* errore scripsisset, id non correxit, his *u* in *b* mutavit. Itaque male Weifsenborn *postulavit.*

IV 48, 10 pauci editorum *legatorum ius* scribunt, plurimi *legatorum vis*. De codicis scriptura dissentiunt Halm, Ritter, Meiser. Halm *ius* correctum esse ex *vis* adfirmat ac tamen *vis* in textu posuit. At scriptura codicis simplex est; correctionis ne minimum quidem vestigium cernitur. Ritter in ipso textu codicis *ius* legit, *vis* recte dicit supra versum additum esse manu recentiore, quae in his duabus paginis (94, 2 et 95, 1) fere omnia vocabula pallore obscurata supra textum repetivit. Similia Meiser, qui si eum qui librum Mediceum confecit *ius* scripsisse sibi persuasit, quidni eius auctoritate confisus — nam in manu recentiore nihil momenti est — Ritteri exemplum secutus *ius* in textu posuit? Existimavit, opinor, id vocabulum huic loco minus esse aptum. Ego cum locum inspicerem, diiudicare non potui, utrum *ius* an *vis* scripsisset librarius; paullo tamen probabilius visum est scripsisse eum *ius*. Id autem ipsum Tacitum scripsisse arbitror, quia aptius mihi videtur dici *legatorum ius* adolevisse quam *vim* eorum. Nam quomodo differat altera notio ab altera, ex eis apparere mihi videtur, quae Tiberius Ann. IV 15, 9 de causa Lucilii Capitonis Asiae procuratoris dicit: *non se i u s nisi in servitia et pecunias familiares dedisse: quod si v i m praetoris usurpasset m a n i b u s q u e m i l i t u m u s u s f o r e t, spreta in eo mandata sua.* Nam eis quae explicandi causa adiunxit Tiberius — *manibusque militum usus foret* — significavit se *vim* praetoris intellegere certum quoddam genus vel partem *iuris* praetorii a iure procuratoris alienam. Haec causa est cur illo Historiarum loco *ius* scribi malim quam *vis*, i. e. id vocabulum quo condicio ac potestas legatorum in universum significatur.

IV 64, 7 eam notam, quae supra litteram *a* est in voc. *terra*, notam litterae *m* Ritter interpretatus est; dubitasse videtur Meiser, qui notam satis accurate expressit. Ego Rittero assentior; nam eandem velut mancam figuram eius notae II 69, 15 in voc. *virtutem* reperio, quam idem qui scripserat lineola delevit. Atque hic ne Meiser quidem dubitavit. Itaque quaeritur possitne ferri *flumina ac terram et caelum quodam modo ipsum*, quod cum omnes, ut videtur. negaverint, ego adfirmare non audeo.

IV 65, 4 extremam litteram vocabuli *libertatis* eadem manus quae scripsit obliqua lineola delevit. Hanc mutationem in priore parte huius libelli p. 23 in numero errorum posui, quos librarius in corrigendo commisit, quia dativo nullus hic locus est. Atque hoc quidem tam certum est, ut errorem subesse ne nunc quidem negem; potest tamen quaeri, sitne genetivus omni offensione vacuus. Facultas enim est occasio vel potestas aliquid faciendi vel agendi. Cuius igitur rei agendae vel faciendae facultas hoc loco significatur? Nimirum libertatis, inquiunt, 'recuperandae'. Hoc verbum possitne cogitatione assumi, est quod dubitemus. Deinde quo consilio Agrippinenses quae prima data est libertatis (recuperandae) facultas, ea usos esse credimus? Num ut Tencteris reliquisque Germanis iungerentur? Non credo, sed ut liberi essent. Quae cum reputassem, nova ratio copulandi huius sententiae membra occurrit haec, ut verbis *ut . . . iungeremur* significari suspicarer, cuius rei efficiendae facultas Agrippinensibus data esset. Quod si verum est, ne genetivus quidem ille, quem in dativum mutavit librarius, integer esse potest. Quin erraverit librarius, dubium non est: quid si in eo erravit, quod extremam litteram sustulit, cum media tollenda esset? Sic oritur haec scriptura: *quae prima liberatis facultas data est*: 'wir haben mit mehr Begierde als Vorsicht die erste Gelegenheit, die sich uns nach unserer Befreiung bot, ergriffen, uns mit euch und den übrigen Germanen, unseren Blutsverwandten, zu verbinden'. Ac sicut hoc loco librarius, si modo vera invenimus, *liberatis* corrupit in *libertatis*, sic contrario

vitio Ann. XIV 38, 12 pro *simultatibus* scripsit *simulatibus* (om. Ritter) et H. III 2, 1 *conciator* pro *concitator* (de quo vocabulo cf. Wolff in editione), ut videtur.

Haec quantum valeant, alii viderint: certior est in eadem oratione alia correctio; nam IV 65, 15 dubium non est quin codex habeat *vertuntur*, cum omnes ante me legerint *vertantur*. Scio hoc uno apud Tacitum loco coniunctionem *donec* indicativum praesentis temporis sequi; at is modus aptissimus est, quo significatur, quid Agrippinenses brevi eventurum esse confidant ac spondeant.

IV 79, 3 cum *relictasibi* scriptum sit in codice, quaerere coepi, utrum *relicta sibi* an *relictas ibi* legere satius esset (cf. IV 45, 5 *praesentis ibi* = *praesenti sibi*). Illud in omnibus editionibus reperitur, nec refelli potest, hoc etsi eis qui libellum meum legent, probatum iri non spero, poterit defendi. Vocabulum *pignus* participio similiter additum invenitur III 72, 3 *sedem Iovis Optimi Maximi auspicato a maioribus pignus imperii conditam . . . furore principum excindi; ibi*, cum antea nominati sint Agrippinenses, idem est quod *apud Agrippinenses*, sicut Ann. IV 55, 13 *Pergamenos . . . aede Augusto ibi sita satis adeptos creditum* idem est quod *apud Pergamenos*. Sed veriorem hanc esse divisionem quam eam quae adhuc valuit non adfirmo: paullo confidentius de eis, quae Ann. XV 28, 7 leguntur quid sentiam propono. Ibi enim sic habent editiones: *ob memoriam laetioris sibi rei*, i. e. eius rei, quae ipsis laetior fuerat quam Romanis, quorum legiones illo loco a barbaris obsessae erant. Haec sententia profecto haud improbabilis est nec quicquam habeo quod contra dicam, nisi quod in codice extrema littera vocabuli *lętioris* librarii manu lineola deleta est, quod non viderunt priores. Unde oritur haec scriptura: *laetioris ibi rei*, quae cum auctoritate libri Medicei fulciatur, potest videri esse genuina. Iam enim in comparativo alia inest comparatio fortasse haud inepta. Est enim: 'in der Erinnerung an einen erfreulicheren Vorgang, der sich dort abgespielt hatte', i. e. eius rei, quae laetior fuerat quam ea futura erat, quae parabatur, quae qualis fuerit c. 29 narratur. Scilicet barbari cum se fastigio Romano submittere pararent, quasi solacium aliquod rei haud gloriosae habuerunt aspectum eius loci, in quo quondam meliore fortuna usi erant, cum eosdem obsidione premerent, quibus iam cessuri erant.

V 4, 7 Meiser primus vidit errasse Victorium, cum *merito* in libro Mediceo scriptum esse diceret, ac veram scripturam invenit, quae est *meria*. Is autem, qui in hac pagina (100, 2) et in sequenti (101, 1), cum iam tum pallidissimae essent, omnia vocabula supra textum iteravit, huic vocabulo non superscripsit *meria*, sed *memoria*, egregia emendatione. Scilicet librarius syllabam *mo* post *me* in medio vocabulo omiserat, cuius generis errorum exempla sat multa in priore huius libelli parte p. 17 congessimus[1]). Addit Meiser syllabam *mo* ipsius librarii manu fuisse superscriptam; nam eius additamenti haud ambigua vestigia superesse (N. Jahrb. f. Phil. 1882 p. 133). Haec ego vestigia non repperi. Sed sive librarius lacunam errore admissam non explevit sive Meiser hoc loco plus viderat quam ego post illum vidi, certum est scripsisse Tacitum *memoria cladis*.

Extremi eiusdem capitis vocabuli, quod est *commearent*, litteras manus recentior praeter

---

[1]) Nunc addo H. I 80, 7 *Inspicionem* = *in suspicionem* (*su* superscr. m. rec.), I 81, 6 *adspicionem* = *ad suspicionem*, IV 19, 20, ubi in voc. *suspicio* librarius *u* ex *p* correxit (om. Meiser). Hi enim loci Heinsium Ann. XIII 55, 15 *solem inde despiciens* in *solem inde suspiciens* probabilius mutasse quam Rhenanum in *solem inde aspiciens* docent. Quippe *despiciens* duobus erroribus ortum est, quorum prior fuit omissio litterarum *su*, posterior dittographia.

ultimam, quam non attigit, renovavit. Hanc autem ipsam litteram librarius lineola satis crassa transfixit. Inde in deterioribus libris scriptum est *commeare*, quam scripturam ego veram esse existimo ratus lineola illa non modo litteram *t*, sed etiam praecedentem deleri. Nimirum *commeare* librarius corruperat in *commearent*, sicut Ann. XIV 44, 10 *agere* corrupit in *agerent*. Itaque hoc infinitivo in textum recepto post *feratur* leviter interpungendum erit.

V 8, 12 minime certum est scripsisse Tacitum *mobilitate volgi expulsi*. Nam Mediceus, id quod olim intellectum est, habet *volgis epulsi*. Verbi expellendi usus satis rarus est apud Tacitum: unum locum novi, qui cum hoc aliquatenus possit conferri: Agr. 24, 11; at ibi scriptor de rege ex insula eiecto loquitur. Multo saepius apud Tacitum verbum pellendi invenitur, eoque identidem utitur ubi de regibus regno eiectis loquitur. Itaque illo Historiarum loco deleta littera *e pulsi*, ut videtur, scribendum est. Cf. simillima Ann. XI 17 de rege Italico: *dein secunda fortuna ad superbiam prolapsus pulsusque ac rursus Langobardorum opibus refectus . . . res Cheruscas adflictabat*. De littera *e* cf. Ann. XI 10, 10, ubi in Mediceo est *estructis monimentis* et manus recens inter *e* et *s* supra versum addidit *x*. Sed rectene scribatur *exstructis*, dubito; certe etiam *structis* loco accommodatum est (cf. Ann. II 18, 6. 22, 2). XI 21, 2 codex habet *eexequi* = *exequi* (falso Ritter *exeequi*), XII 47, 14 *econtra*, quod videtur esse *contra* potius quam *e contrario*, H. III 74, 10 *enovatae* = *navatae*, Ann. XIV 52, 9 *evenisset* = *venisset* (his tribus locis praecedens vocabulum: *et erant, et, eorum* videtur iterari coeptum esse). Nec tamen pro certo adfirmaverim illo Historiarum loco scribendum esse *volgi pulsi*, praesertim cum etiam tertium quiddam offeratur. Nam sicut H. I 89, 10. Ann. XIV 22, 3 Tacitus Neronem *depulsum* esse scripsit ('gestürzt') nullo addito ablativo loci, sic illo loco *mobilitate volgi depulsi* scripsisse potest, idque etiam facilius ex prodita scriptura eruitur quam verbum simplex.

De lacunis.

Lacunas codicis haud paucis Historiarum locis hians sententia arguit. De quibusdam quid sentiam breviter exponere iuvat. Mancam esse codicis scripturam II 65, 11 male negaverunt recentissimi editores, cum leviter mutando quam supplendo Taciti manum facilius restitui posse crederent. Bene Ritter: *exemplo L. Arruntii. Arruntium Ti. Caesar*, etiam melius olim Heraeus: *exemplo L. Arruntii. Sed Arruntium Ti. Caesar ob metum, Vitellius Cluvium nulla formidine retinebat*. Causa omissionis perspicua est, nominis iteratio Taciti propria. Particulam *sed* deesse non posse et ipsa sententia monet et mira quaedam similitudo eorum quae Galba dicit I 15: *exemplo divi Augusti, qui . . . collocavit. Sed Augustus in domo successorem quaesivit, ego in re publica*. Scilicet dissimilitudinem exempli particula utroque loco declarat.

Eandem particulam II 80, 15 ante *nihil aeque* inseri iuberem, si aliqua probabilis causa appareret, cur in codice omissa esse credi posset. Tacitus in initio enuntiati septies *sed nihil aeque* scripsit, bis *nihil aeque*. Quid intersit, ex comparatione apparet: *sed nihil aeque* scripsit, ubi homines modice fatigatos (H. II 84, 2. V 3, 10. Ann. IV 49, 9) vel impulsos (H. IV 54, 8) vel flexos (Ann. I 41, 12) vel territos (Ann. II 52, 16) vel adflictos (Ann. XIV 38, 7) aliqua re esse dixit, cui illis verbis, quae apud hunc scriptorem loco formulae cuiusdam sunt, eam rem adiunxit, quae plurimum valuit ad homines fatigandos, impellendos, flectendos, terrendos, adfligendos. Eadem ratio eorum est quae H. II 80 de populo Antiochensium traduntur. Is enim cum iam accensus

esset facundia Muciani et ostentatione artis, una cum reliquis eius provinciae sociis et toto exercitu multo magis ac maxime eo accensus est, quod adseverabat Mucianus statuisse Vitellium, ut Syriacae legiones in Germaniam transferrentur. Hic nuntius a Muciano allatus velut cumulus accedebat ad vim eloquentiae, qua homines alliciebat. Contra *nihil aeque* Tacitus in initio enuntiati scripsit, ubi nihil simile praecedit, cui ea res, quae maximi momenti fuit, adiungi possit. Tales loci sunt H. IV 35, 1. Ann. II 65, 1, qui, si quid video, non sine aliqua causa in initiis capitum inveniuntur, quamquam eiusdem generis etiam ea sunt, quae Ann. IV 71, 11 leguntur. Horum trium locorum id commune est, quod scriptor novam sententiarum seriem ingrediens statum aliquem rerum urgentem vel gravem affectum aut inclinationem animi tempore imperfecto quod dicunt significat, unde factum aliquod natum esse dicit, quod perfecto vel praesenti tempore adiungit. Horum nihil inest in illo loco, quo quid Mucianus apud Antiochenses effecerit narratur. Inde coniectura mea orta est, quam tamen cum dubitatione profero, cuius causam supra commemoravi.

Eam lacunam, quae est H. IV 38, 4, optime explevit Iac. Gronovius, cum ante *provinciae* insereret *pro consule.* Hic rursus causa omissionis oculis occurrit. Nunc fidem huius supplementi similis loci comparatione, si modo opus est, augere licet. III 46, 15 in voc. *pro consule eam provinciam annuo imperio tenuerat* syllabas *sule*, a quibus incipit versus, a librario in rasura scriptas esse Meiser recte dicit. Raro divinari potest, quid in loco radendo correcto scriptum fuerit: hoc loco potest. Scriptum fuit *ciam*; nam in fine antecedentis versus, id quod non vidit Meiser, librarius *procon* correxit ex *prouin*, quod ita fecit, ut priori hastae litterae *u* imponeret *c*, ex posteriore et littera *i* efficeret *o*. Scilicet similitudine initiorum inductus voc. *prouinciam* praeceperat. Idem utroque loco error est eademque causa erroris; hoc interest, quod altero loco librarius praecepta correxit, altero in errore perseveravit.

Similis error librarium vexavit III 71, 19. Ibi enim post *lapsus* scripsit *Inp*; quippe *Inporticus* praecipiebat. Mox *n* mutavit in *g*, quo efficeret *Ignis*. Sed cum vereri coepisset, ne, si etiam *p* in *n* correxisset, litterarum forma obscuraretur, omnes tres illas litteras obliqua lineola delevit ac spatio intermisso *Ignis Inporticus* scripsit. At in eodem illo vocabulo *Ignis* scribendo iterum erravit; scripsit enim *In* idque correxit in *Ig*.

Nec diversa fortasse causa fuit maioris lacunae, qua nescio an discissus sit ordo eorum quae de principis Vitellii origine III 86, 1 traduntur. Ibi deesse quaedam primus Weißenborn suspicatus est, qui vestigia codicis premens, in quo scriptum est *patrem illi Luceriam*, Tacitum in eis quae de origine A. Vitellii prodidit, non modo patriae, sed etiam patris eius, viri clarissimi, sicut solet fere in talibus locis, mentionem fecisse argute coniecit. Nec tamen quod coniecerat reliquis probavit, qui cum immutare quae prodita sunt tutius esse existimarent quam aliquot verba inserere ac de patre Vitellii sufficere ea quae secuntur: *cuncta patris claritudine adeptus*, Oberlinum secuti scripserunt: *patria illi Luceria.* Horum opinioni ego non accedo primum quia patris Vitellii in ipso initio huius capitis mentionem non esse factam non credo, deinde quia eius corruptelae, qua *patria* in *patrem* depravatum esse putant, nullam in hoc codice similem inveni. Sic eo deductus sum, ut oculos librarii a voc. *Lucium* ad voc. *Luceriam* (non a voc. *patrem* ad voc. *patriam*) aberrasse et Tacitum haec fere scripsisse suspicarer: *Patrem illi* ⟨*Lucium Vitellium censorem ac ter consulem fuisse memoravi, patriam habuit*⟩ *Luceriam.* A. Vitellium autem L. Vitellii censoris ac ter consulis filium fuisse commemoraverat I 9.

In confinio paginarum columnarum versuum facilius vocabula omitti consentaneum est. Haud male Ritter III 72, 14 in fine columnae post voc. *gloria* omissum esse *patrati* coniecit. *studia* omissum est Ann. I 69, 10 in fine paginae. H. IV 40, 16 voc. *fama* positum est in fine versus, id quod non adnotavit Meiser, cum ceteroquin, ubicumque opus esse videbatur, in tradendis talibus rebus diligentissimus fuerit. Inde aliquid probabilitatis additur coniecturae Heraei *de* inserentis ante nomen Demetrii, sicut Ann. III 62, 14 *de* ante *delubris* insertum est. Conspirant hi loci: H. I 50, 21 *ambigua de Vespasiano fama*, Ann. VI 32, 15 *eo de homine haud sum ignarus sinistram in urbe famam.* Dativum uno loco inveni: Germ. 35, 13 *et quiescentibus eadem fama*; sed eius loci diversa ratio est. Postremo operae pretium est memorare Ann. XIII 31, 13 vocabula *in provincia*, post quae Madvig *quam* scite inseruit, posita esse in fine versus.

Sunt aliae lacunae et maiores et ambigui iudicii. Velut I 46, 24 post *seponeretur* aliquid deesse olim intellectum est. Nam qui sententiam integram esse dicunt, si quis quaerat, quo tandem evocatus ille ab Othone praemissus sit, ubi Laconem trucidaverit, aut nihil aut in illam ipsam insulam praemissum esse ibique Laconem necasse respondent. At tam incerta tradidisse Tacitum vix credibile est. Ego praeeunte Nipperdeio eum vel haec vel similia scripsisse suspicor: *Laco praefectus, tamquam in insulam seponeretur, ⟨Ostiam amotus ibique⟩ ab evocato, quem ad caedem eius Otho praemiserat, confossus,* fretus similitudine eorum quae leguntur Ann. XVI 9, 4 *Silanus, tamquam Naxum deveheretur, Ostiam amotus, post municipio Apuliae, cui nomen Barium est, clauditur.*

Certius est iudicium de vocabulo *ita*, quod H. IV 4, 17 deesse nemo negat. Sunt qui plura deesse coniecerint. His ego assentior. Tentavi autem: *prompsit sententiam ut honorificam in novum principem ⟨ita ipsi decoram; quippe⟩ falsa aberant.* Potest enim librarius simili exitu vocabulorum *principē* et *quippe* esse deceptus.

II 57, 6 post *Britannico* (*brittannico*) excidisse *exercitu* certum est. Eius vocabuli quamvis levia vestigia possunt videri in ipso codice superesse. Nam in voc. *delecta* prima littera ita a solita figura abhorret, ut *e* videatur coepta esse scribi. Videlicet primam litteram voc. *exercitu* scribens, errore captus, tamquam id vocabulum iam scripsisset, litteram *e* coeptam scribi mutavit in *d*.

Fortasse eiusdem generis sunt quae III 73, 1 traduntur: *sed plus pavoris obsessis quam obsessoribus intulit.* Quid pavorem intulerit, ex editorum numero unus Prammer adnotat cum scribit: 'intulit der Brand des Capitols'. Ceteri id per se ipsum intellegi arbitrati sunt. Quod rectene iudicaverint, dubito. Nam quoniam praecedunt verba *ea tunc aedes cremabatur*, aedem potius quam incendium aedis pavorem intulisse iure colligo. His angustiis subvenit codex, in quo ante *pavoris* scripta est littera *i*, cui paene absolutae quasi corrigendi causa arte adiuncta est prima littera voc. *pavoris*. Unde aut *id* aut *incendium* aut *id incendium* inter *plus* et *pavoris* inserendum esse conicio.

Aliis locis lacunam subesse temere dicunt. III 13, 4 *et transfugisse* Clemm scribi iussit, quia in codice est *transfugisset.* At id librarium ipsum deleta littera *t* in *transfugisse* mutasse recte Meiser dicit. Hic locus eorum me admonet, quae IV 39, 3 in omnibus editionibus reperiuntur: *et Tettio Iuliano praetura . . . ablata.* Eius viri nomen recte scriptum est in codice II 85, 13; at I 79, 25 *Iulianus Tettius* corruptum est in *Iulianus et titius.* Inde colligo illo quarti libri loco *et tito* depravatum esse ex *Tettio*, non ex *et Tettio.* Itaque *et* tollendum est ex

editionibus, et asyndeton loco accommodatum est. Etiamne *et Titium Proculum* Ann. XI 35, 13, ubi particula *et* habet in quo offendamus, ex eadem corruptela natum est, qua H. I 79, 25 *et titius*? Sed hoc dubium. — H. III 14, 1 male Ritter *ut quemque dolor ⟨ira⟩ impulerant*, nam *ut* delevit et *t* superscripsit librarius ipse. Ac ne quis III 41, 3 ex Meiseri adnotatione aliquid deesse colligat. Nam quod post *pęnetrandum* in codice conspicitur, est interpunctionis signum admodum vulgare, quod Meiser cum alias iure neglexerit nescio cur hic adnotandum duxerit. — IV 77, 3 Meiserum secuti hodie scribunt: *pars montibus, alii via, alii viam inter Mosellamque flumen* etc. Ille enim *alii*. *Ialii* se in codice repperisse dicit, litteram *I* autem manu recentiore esse deletam. Coniectura Meiseri per se ipsa haud improbabilis est; quae de codicis scriptura tradidit, corrigenda sunt. Primum enim ea littera, quae est inter *i* et *a*, fueritne *I*, admodum dubium est. Mihi *a* potius fuisse videbatur. Deinde ea ipsa littera librarii manu deleta est, cuius testes sunt obliquae lineolae et a superiore et ab inferiore parte additae. Itaque si quis locum emendare volet, ei pro fundamento habenda erit haec codicis scriptura: *pars montibus, alii alii viam inter Mosellamque.*

De scripturis marginalibus.

Haud raro in margine codicis aut vocabulum aliquod aut syllaba aut littera adscripta est. Haec quis scripsisset ut diiudicari posset, et formam litterarum cum ea scriptura, qua in ipso textu librarius utitur, singulis locis comparavi, et quantum probabilitatis haberent ea quae adscripta sunt, perpensis et locorum rationibus et Taciti genere dicendi mecum reputavi. Qua ratione inita cum omnes notas marginales quae quidem ad ipsum textum conformandum pertinent[1]), uno conspectu complexus essem, eo postremo deductus sum, ut aut omnia illa quae in margine adscripta sunt aut certe longe plurima ei ipsi librario, qui textum confecit, tribuenda esse et ipsius scriptoris manum ostendere intellegerem. Distinxi autem varia quaedam genera, quae quidem iam deinceps persequi in animo est.

Ac primo quidem generi eas notas marginales adsigno, quibus correctio aliqua in ipso textu effecta confirmatur ac dubitationibus, si quae esse possunt, eximitur. Has notas librarium ipsum tollendae dubitationis causa adscripsisse cum ex figura litterarum et ex ipsa rei natura tum inde intellegitur, quod, si quando in scribenda aliqua littera lapsus erat ac solitam perspicuamque formam eius plus minusve corruperat, saepe, ne incertum esset quid scripsisset, eandem litteram supra versum iteravit[2]). Huius igitur generis hae notae marginales sunt:

[1]) seclusis eis, quae aperte manum recentiorem aut forma litterarum produnt (I 78, 4 *nova*, quod antea librarius ipse in textu restituerat, II 64, 11 *a se*, quod adscripsit vir doctus aliquis, cum antea nescio quis in textu ex *afe* radendo fecisset *ase*, II 82, 4 *quaeque*, III 83, 2 *modo*, IV 1, 4 *fors*, egregia emendatione; nam in textu est *sors*, IV 29, 7 *corsus inceptti* in frustulo membranae adglutinato, V 7, 9 *autumni*, V 17, 9 *praevise*, quod eadem manus recentior addidit, quae in textu scripsit *previse*) aut propter pallorem atramenti suspicionem movent (I 66, 14 *conti*, qua nota nomen Vocontiorum — nam in textu est *vocantiorum* — restituitur, *promptius* I 77, 17 incerto nomini adscriptum, quod quidem nihili est).

[2]) Id nonnumquam factum est in littera *t*, saepius in littera *a*, quarum utraque, cum inter se satis similes sint, paullo difficilior scriptu fuisse videtur. Velut littera *a* in textu paullo obscurius, supra versum perspicue scripta est in voc. *futura* III 36, 6, *quam* III 53, 4, *vespasianum* (in secunda syllaba) III 65, 5, *palatii* (in prima syllaba) III 71, 13, *arma* (in fine vocabuli) IV 2, 12, *statim* IV 19, 3, *fateri* IV 41, 15, *perfugerat* V 12, 11. Atque item in margine singulae litterae repetitae sunt hae, quae ob similitudinem earum, quae supra versum

1. I 13, 13 *adu*, quod adscripsit librarius, ne quis dubitaret, quin *adulescentiam* legendum esset — nam in textu litteram *l* errore praeceptam in *d* correxerat (cf. tabulam priori parti huius libelli adnexam No. 10). 2. I 16, 24 *uo*; nam in textu prima littera vocabuli *uolueris* haud satis certa est, quoniam librarius, cum oculi ad voc. *nolueris* quod sequitur deerrassent, *n* scripserat idque in *u* correxerat. 3. I 45, 13 *exi*, quo additamento librarius correctionem illam confirmavit, qua *auxilio* in *exilio* mutaverat (cf. de hoc loco priorem huius libelli partem p. 12[1])). 4. I 79, 9 *perni*: de genere correctionis cf. l. l. p. 8. 5. I 82, 4 *di*, quod propterea addidit, quod in textu *undeque* scripserat, etsi id iam in textu correxerat; nam superior pars litterae *e* et obliqua lineola deleta et erasa est (iniuria Meiser manum recentiorem arguit). 6. I 86, 6 *o* — nam *insolitas* in textu scripserat idque addita lineola dextrae parti litterae *a* emendaverat. 7. II 4, 5 *tis* adscriptum vocabulo *sacerdotis*, in quo extremam litteram correxerat ex *b*, ut mihi visum est, non ex *b*; (quod Meiser dicit: scilicet *sacerdotibus* scripturus fuerat, non exscripserat). Falsa de hoc loco apud Halmium traduntur; nullo enim modo *sacerdotii* scriptum fuisse credi potest, quoniam *ti* duabus litteris significatum est, quod numquam fit sequente vocali. Itaque testimonium Meiseri, qui *sacerdotis* proditam scripturam esse recte dicit, nunc eis quae in margine inveni, confirmatur. Nec vero genetivus dubitationem adferre debuit Heinsio, qui dativum in locum eius substitui iussit, aut Halmium oportuit illi assentiri. Est enim, nisi fallor, in talibus enuntiatis certum quoddam discrimen inter genetivum et dativum. Quod Tacitus hoc loco scripsit, est nostrum 'der Priester war es, der so hiefs'. Dativum posuisset, si sacerdotem antea commemorasset, i. e. si scripsisset: *de navigatione primum sacerdotem consuluit*, quae si antecederent, legeremus: *id nomen* vel *id enim nomen sacerdoti erat* = 'so hiefs der Priester'. Hanc differentiam ut esse statuerem, similium locorum comparatio me adduxit. Nam dativum Tacitus scripsit Ann. XI 30, 1 *id paelici nomen* (quamquam magis placeret *id alteri paelici nomen*), XII 51, 12 *id mulieri nomen*, XVI 30, 7 *id enim nomen puellae fuit* (quod sunt qui genetivum esse falso existiment). XV 59, 24 *nomen mulieri Satria Galla, priori marito Domitius Silus* (sic enim hunc locum nulla littera mutata olim conformavi, quae lectio his ipsis iam quae de genetivi et dativi usu recte statuisse mihi videor, ultro confirmatur), quoniam mulierum, quarum nomina tradit, iam ante mentionem fecerat. At genetivum, sicut eo loco, unde digressi sumus, scripsit H. III 50, 18 *clavarium* (*donativi nomen est*) *flagitantium*; nam verba uncis inclusa = 'es ist eine Art Geldgeschenk an die Soldaten, das so heifst', iniuria quidam pro insiticiis expulerunt; et Ann. XIV 4, 7 *ducitque Baulos. Id villae nomen est* etc., ubi dativum intellegi ei loci vetant, quos supra attuli H. II 4, 5 et III 50, 18, quoniam horum trium locorum id commune est, quod scriptor nomen tradit rei vel hominis antea non commemorati. Cf. Germ. 36, 4 *modestia ac probitas nomina superioris sunt*, ubi idem Heinsius genetivum temere in dativum mutavit. Unum loco novi, qui ab ea norma, quam ex natura unius cuiusque loci hausisse potius quam ex ingenio meo finxisse mihi videor, abhorreat: Agr. 22, 2 *vastatis usque ad Tanaum* (*aestuario nomen est*) *nationibus*. Est enim

---

scriptae sunt, hic ponantur: *ti* II 20, 13, *a* III 38, 26, *d* V 17, 6, quae propter deformitatem repetitae sunt ex voc. *Placentiae*, *accidat* (ex prima syllaba), *Dum*.

[1]) Ibi vocabula *exitium* et *exilium* identidem inter se commutata esse dixi. Nunc addo idem etiam saepius factum esse in vocabulis *homo omen nomen omnis*, *aversari adversari*, *coorti cohorti*, *audire audere ādire* (I 36, 5 in voc. *adeundi* post *a* librarius *d* correxit ex *u*), *periculosis* vel *periculis perculsis*. Saepissime *adstiterat* e. q. s. s. corruptum est in *adsisterat* e. q. s. s.

simillimus tribus illis genetivi exemplis. Itaque *aestuarii* scribendum esse conicerem, si Tacitum eadem constantia, qua in maioribus scriptis illum usum tenuit, iam in minoribus tenuisse compertum haberem. 8. II 12, 16 *cesi*, de quo loco vide l. l. p. 15. 9. II 28, 1 *tun*, quod in margine adscripsit librarius, postquam vocabuli *tungrosque* primam litteram initio omissam supra versum addidit (ceterum etiam *g* ex *d* correxit). 10. II 47, 18 *ne*; scripserat enim *nomine* idque ita correxerat, ut et *o* in *e* mutaret et *e* supra versum adderet. Itaque triplex haec correctio est. 11. II 49, 9 *d*; nam postquam *subsidium* scripsit, cum scribendum esset *subdidit*, id quidem correxit, *d* autem in margine addidit, quoniam forma eius litterae ex *s* effectae parum perspicua esse videbatur. 12. II 76, 9 *uo*; nam in vocabulo *uoco* litterae *u* loco coeperat *c* scribere, ut videtur. 13. III 11, 2 *eo*, ubi scripserat *et* idque correxerat, cum et *t* mutaret in *o* et *o* supra versum adderet. Hoc alterum exemplum est triplicis correctionis. 14. III 25, 6 *ti*; nam in voc. *laxati t* paullo obscurius scripta est in rasura, ante quam fortasse scriptum fuit *laxari*. 15. III 36, 8 *cu*, quod addidit, quia in voc. *perculit c* ex *t* correxerat. 16. IV 1, 13 *ubique*, de quo loco recte Meiser. 17. IV 15, 13 *mo*, quod adscripsit vocabulo *proximo*, in quo, cum scripsisset *proxima*, litteram *a* ita in *o* mutaverat, ut dextram eius partem obliqua lineola deleret. Meiser et correctionem et quod in margine scriptum est ei qui textum exaravit tribuendum esse negat. Iniuria; nam et obliqua lineola, quam memoravi, et figura litterarum *mo*, quae sunt in margine, librarii manum aperte produnt. Inde hunc locum nova forma induendum esse apparet; nam *proximo*, quod adhuc nihili aestimatum est, Tacitum scripsisse codex auctor est. Ceterum quae in editionibus hoc loco leguntur, etiam aliis vitiis laborant. Plurimis placuit Weifsenbornii inventum: *proxima occupatum Oceano inrumpit*. Atque ut supinum illud quod dicitur tueantur comparant IV 23, 4 *ut oppugnatum ultro legiones nostras venirent*, nec quod in verbo veniendi vulgare est, id verbo inrumpendi parum accommodatum esse viderunt. Iam vero *Oceano* esse dativum vel inde colligi potest, quod castra Oceano propinqua (id quod bene monuit Meiser) aperte opponuntur eis quae paullo post de militibus in superiorem insulae partem concurrentibus traduntur. Et Oceano. i. e. navibus inrupisse Canninefates (vel Cannenefates) propterea haud veri simile est, quod tum quidem navibus caruisse videntur, id quod Wolff primus dixit. Eadem difficultas Lipsium refellit, cuius coniecturam *proxima occupatu Oceano inrumpit* Nipperdey et Spooner receperunt. Meiser scripsit *proxima accubantia Oceano inrumpit*. Eum secutus est Wolff. Ego ut vocabulum *accubantia* de castris dictum Tacito imputari posse concedam, in eo haereo, quod nescio, utrum verba *proxima accubantia Oceano* unam notionem efficere credam — haec Wolffii opinio est, ut videtur — an voc. *proxima* a reliquis ita segregandum sit, ut sit *proxima sibi*, i. e. Brinnoni — sic Meiser distinguit; comparat enim Caes. b. civ. III 9, 6 *in proxima Octavi castra irruperunt*. Reliquae sunt quattuor priorum coniecturae: Madvigii *proxima locata Oceano*, Urlichsii et Novákii *proxima* [*occupata*] *Oceano*. Weidneri *proxima acclinata Oceano*, Polsteri *proxima applicata Oceano* (cf. JB. 1876/77 p. 303. 1895 p. 197. 1897 p. 154. 159). Ex his Urlichsii et Novákii inventum maxime mihi placeret, si aut voc. *occupata* textu pelli fas esse aut *proxima* in libro Mediceo non manu librarii in *proximo* mutatum esse crederem. Itaque, ut nunc res est, salvo dativo illo, qui est *proximo*, inveniendum est aliquod vocabulum, ex quo possit credi *occupata* esse natum. Multum me ac diu haec quaestio vexavit nec tamen melius quicquam aut probabilius repperi quam *applicata* illud, quod Polster protulit. Itaque dum meliora ac certiora proferantur, suadeo ut scribatur *proximo applicata Oceano* = 'das an den ganz nahen

Ocean gelehnte Lager'. Cf. Liv. XXXII 30, 5 *eidem flumini castra applicuit.* 18. IV 59, 15 *ci*, de quo loco dixi l. l. p. 9. Ceterum hoc est tertium triplicis correctionis exemplum.

Secundum genus eorum quae in margine adscripta sunt, ea complectitur, quibus ipsa correctio eorum quae librarius in textu posuerat continetur. Ne haec quidem dubium est quin ab eadem manu quae codicem scripsit, originem traxerint. Sunt autem haec: 1. I 65, 16 *nt*, quibus litteris *relinquerentur* in *relinquerent* correxit librarius, cf. l. l. p. 16. 2. II 21, 14, ubi librarius cum in textu scripsisset *protegendisque*, in margine addidit *q*; i. e. sollemne eius particulae compendium (contra I 85, 17 postquam *torq;* scripsit, notam illam mutavit in *u* et *ere* addidit). 3. II 38, 8 in textu scripsit *g. marius*, in margine addidit *G.* 4. II 39, 2 in textu *frm̃*, i. e. *fratrum*, in margine *frem̃*, i. e. *fratrem.* 5. II 41, 19 *uo* in margine inter utramque columnam non ab alia manu, ut ait Meiser, sed ab ipso praescriptum est vocabulo *clamantium*, cuius tres primas litteras duabus lineolis obliquis (altera *cl*, non tantum *l*, altera *a*) idem librarius sustulerat. *Clamantium* scripserat sono praecedentis vocabuli *clamor* inductus; mox in delendis litteris erravit; nam cum litteras *lam* tollere deberet, sustulit litteras *cla* atque sic, praescripta syllaba *uo*, effecit *uomantium*, cum effici oporteret *uocantium.* Id enim Tacitum scripsisse mihi quoque, sicut Meisero, persuasum est. 6. II 68, 20 in textu *om̃e*, i. e. *omne*, in margine *oĩs*, quod sine dubio ipse adscripsit. Itaque scribendum est *ad omnis suspiciones.* 7. II 93, 15 in textu *Germanę*, in margine *nie*, i. e. *Germaniae.* 8. III 47, 8 in textu *mama*; in margine praescripsit *f*, i. e. *fama* (ceterum in eodem vocabulo pro posteriore *a*, ut saepe alias, coeperat scribere *u*, unde ortum est *manu* in codice b). 9. IV 67, 12 in textu *soedera*, ut videtur, in margine *foe*, i. e. *foedera*[1]). 10. V 9, 17 in textu *peromnia*, mutata littera *a* in *em*, littera *i* integra relicta, in margine *peromnem.* 11. V 18, 5 in textu *cuneus stranatavit*, in margine *trans*, unde mihi *transnatavit* potius quam *tranatavit* scribi oportere videtur.

Tertii generis ea additamenta sunt, quae cum forma litterarum ceteris simillima sint, signo aliquo bis (et in textu et in margine) posito notata sunt. Ex his ea frequentissima sunt, quae duplicem apicem habent. Eorum fere omnium originem haud cunctanter ad primam manum refero. 1. II 23, 19 in textu *proprocaxore*, in imo margine *procax ore*, quod non tantum ideo adscripsit librarius, ut alterum *pro* tolleret (id enim in ipso textu fieri poterat), sed etiam ut vocabula divideret. 2. II 77, 15 in textu *tumescentia*, in margine *tia* solito more scriptum, de qua emendatione scripturae cf. l. l. p. 8. 3. II 99, 9 in textu *metus* idque correctum in *uetus*, in margine *ue.* 4. III 24, 3 in textu *currari sumpsissent*, in margine *cur rari*, scilicet ut divideret vocabula. Hunc locum ut probabiliter emendaret, nemini adhuc contigit. Ego quoque, quoniam gravius vitium subesse videtur, quid suadeam dubito, nisi quod *rari* salva sententia tolli posse video. At unde inrepsit? Nam quod quindecim versibus post legitur *rariore*, ecquam viam monstret, non audeo dicere. Hoc certum est, divisionem vocabulorum ipsi librario deberi. 5. IV 42, 3 in textu *castrorum* idque obliqua linea litterae *r* (post *t*) apposita deletum, in margine *Crassorum*, notabili ac certa emendatione. 6. II 20, 5 in textu *aũ*, in margine *quoque.* Illud *aũ* legendum esse *autem* recte Meiser dicit; nam IV 32, 13 illa particula eodem compendio

[1]) Similitudo litterarum *s* et *f* scribam induxit, ut et III 82, 19 *prostuvianis* scriberet (quod correxit in *profluvianis* = *pro Flavianis*) et IV 75, 6 *ipso finibus*, cum deberet *ipsos finibus* (cf. *tranferebat* = *transferebat* Ann. XIII 45, 15, quod omittit Ritter) et IV 34, 6 cum recte scripsisset *tritis*, litterae *s* ita adiungeret *rustra*, quasi modo *f* scripsisset.

significatur. Itaque Meiser eam retinuit spreta et nota marginali, quam manu recentiore adscriptam esse opinatur, et dubitatione, quam ex raro eius particulae in Taciti libris historicis usu olim apud viros doctos ortam gravissimis causis fulsit Nipperdey ad Ann. XIII 25. At *quoque* sententiae loci accommodatissimum est: ea enim particula marito adiungitur uxor, quae, sicut ille, habitu suo sinistris sermonibus materiem praebuerit. Ac sicut forma litterarum manum librarii ostendit, ita ea origo huius notae marginalis etiam eo confirmatur, quod, sicut quinque illa additamenta, quae modo tractavimus, duplici apice notata est. Itaque *uxorem quoque* scribendum esse arbitror, etsi unde ortum sit *autem* illud quod in textu est nescio. Hoc mihi persuasum est procul habendam esse Haasii coniecturam, quae cum multis tum Halmio et Heraeo placuit. Neque enim *que* vel *q;* in *ãũ* corruptum esse neque *quoque*, id quod modo dixi, ex coniectura viri docti alicuius ortum esse credibile est. 7. III 63, 4 ultimum huius generis exemplum est, de quo certa dicere paullo etiam difficilius est. In textu est *ornatusque*, in margine *armatus* adscripsit librarius, de cuius manu hoc loco ne Meiser quidem dubitavit. Sententia neutrum respuit. Sed quoniam de incertis ex similitudine eorum quae certa sunt diiudicari oportet, equidem *armatusque* praefero; nam ne hoc quidem loco deest ille apex bis positus, quo quinque vel sex locis librarium ea quae corrigendi causa in margine adscripsit notasse vidimus.

Quartum genus eorum est, quae in textu apice, in margine vocabulo *al* vel *alj* (i. e. *alii*) notata sunt. Ne in his quidem ulla discrepantia scripturae cernitur. 1. IV 65, 11 in textu *societatis*, in margine *al sociatis*, egregia emendatione. Similiter Ann. XV 64, 6 *sociatae* corruptum est in *societatem*. 2. IV 55, 20 in textu *discep* (fin. v.) *ras*, in margine *al despecturas*. Hic margo partem certe veri servavit. Nam cum in textu confinium versuum duas syllabas *tatu* hausisset, earum altera in margine restituta est. *Discep* autem ibidem in *despec* corruptum est, sicut IV 49, 9 *suspecto* in *suscepto*. 3. III 39, 7 in textu *fidei obstinatio*, in margine *alj fides obstinata*. Utrum verius sit, non audeo dicere. Quod in margine est omnes, quantum video, editores aspernati sunt, explicandi gratia adscriptum esse rati. Ac fortasse iure. Ceterum hoc unicum apud Tacitum exemplum est vocabuli *obstinatio* cum genetivo coniuncti; at *fides obstinata* legitur etiam H. V 5, 5, sicut *severitas obstinata* Ann. XV 21, 10.

Reliqui sunt quattuor loci, qui quattuor illis generibus accedunt. 1. I 57, 2 in textu *proximo*, cui vocabulo superscriptum est *alj.*, in margine *al. postero*. Recentioris manus, cui Meiser notam marginalem attribuit, nullum vestigium video. Sed utra lectio vera sit, hic quoque difficillimum dictu est. Nam Tacitus eum diem, qui secutus est alium, et *proximum* dicit et *posterum*. Hoc loco aliquid momenti in eo inesse potest, quod unius versus spatio discreta sunt vocabula *proxima legionis primae hiberna*, unde *proximo* in textum irrepsisse suspicari licet. Quod si verum est, Tacitus *die postero* scripsit. Sed id quidem dubium. 2. I 44, 12 in textu *illam diem*, sed deletis librarii manu notis litterae *m*, in margine sine ullo additamento *illo*, quod haud dubie eidem librario tribuendum est. Tacitus modo *illo die*, modo *illa die* scripsit (v. lex. Tac. p. 289a). Itaque ne hic quidem quicquam subsidii video, quo tolli possit dubitatio. 3. II 29, 9 in textu *obire* cum puncto, quod est supra litteram *o*, in margine librarii manu *circuire*, item cum puncto, quod est supra *c* priorem. Greef s. v. *obeo* hunc locum a reliquis eius verbi exemplis seiunxit; Tacitus *circumire saucios, tentoria, domos* scripsit, Caes. b. civ. III 94, 6 *portas*, Liv. XXII 1. 8. XXVIII 24, 8. XXXII 26, 17. XLV 37, 9. Sall. Iug. 100, 4. Macer Dig. XXXXIX 16, 12, 2

vigilias. Cf. Liv. III 6, 9 *munus vigiliarum senatores, qui per aetatem ac valetudinem poterant, per se ipsi o b i b a n t, c i r c u i t i o ac cura aedilium plebi erat.* Vegetius III 8 (p. 85, 5 ed. Lang.) *idoneos tribuni et probatissimos eligunt, qui circumeant vigilias et renuntient, si qua emerserit culpa, quos circumitores appellabant; nunc militiae factus est gradus, et circitores vocantur.* Hinc quod nos dicimus 'die Wachen inspizieren' — id autem officium apud Tacitum quoque intellegendum est — latine dici *circumire vigilias* apparet. Itaque illo Taciti loco *circumire* praeferendum videtur, nisi forte hic scriptor a reliquorum consuetudine recessit ac vir doctus aliquis soliti sermonis peritus id in margine adscripsit, quod alibi legerat. 4. V 16, 14 librarius vocabulum *decumanos* nescio cur in margine repetivit.

Haec longe plurimis eorum locorum, quos enumeravi, in margine veras et genuinas scripturas servatas esse, nullo loco ea quae adscripta sunt neglegenda esse docent.

De scriptura litterarum ae et oe.

Multis locis in posteriore Annalium parte Ritter, in Historiis Meiser diphthongum *ae* duabus litteris *a* et *e* in codice Mediceo 68, 2 significari diserte testari videntur. Nam ex Meiseri apparatu critico colligi potest scriptum esse in codice H. II 39, 9 *paenuria,* IV 42, 29 *aemulos.* II 36, 1. 39, 10. 42, 10. 45, 4. 46, 3. 48, 13. 52, 3. 60, 7. 61, 8. 66, 12. 68, 16. 77, 11 *praelium,* I 15, 22 *praecipua,* 19, 11 *praetextu,* 45, 13 *praesenti,* V 8, 7 *praepotuere,* 13, 10 *praedixerat,* I 10, 5 *asyae,* I 32, 9 *penitentiae,* 45, 9 *innocentiae,* II 24, 1 *egregiae.* At nullo horum locorum litterae *a* et *e* conspiciuntur, sed ȩ, nisi quod syllaba *prae* omnibus septendecim illis locis scripta est p̄[1]), et IV 42, 29 *emulos* in codice est[2]).

Plus quam septuaginta diphthongi *ae* litteris *a* et *e* significatae exempla Ritteri apparatus criticus posteriori parti Annalium adnexus eidem codici attribuit. Singula persequi longum est: satis erit in universum adnotasse ubique aut ȩ scriptum esse aut, quod multo rarius est, *e,* nisi quod syllaba *prae* suum compendium habet. Omnino exceptis paucis quibusdam locis, de quibus infra separatim disseram, nullum exemplum diphthongi *ae* duabus vocalibus significatae in codice Mediceo II extat. Quid quod librarius eius codicis hanc scripturam consulto sprevit ac si quando

[1]) De scriptura eius vocabuli, quod nos *proelium* scribere solemus, Meiseri testimonia sic supplenda et corrigenda sunt. *Praelium* nusquam reperitur, semel (I 68, 4) *proelium,* sed ita, ut tres primae litterae compendio notatae sint, cuius formam expressit Meiser, semel (III 79, 5) prave *prorelium,* eodem compendio scriptum, quod non fugit Meiserum, bis *prȩlium* (I 2, 1 et IV 33, 10, ubi Meiser *p̄lium*), bis *prelium* (III 32, 13. 82, 4, quod Meiser recte adnotavit), ceteris locis, qui quidem permulti sunt, *p̄lium,* idque cum alias tum II 13, 1. 35, 5. III 2, 24. 5, 15. 9, 2. 84, 5. IV 22, 13. 23, 18 (*p̄liarentur*). 36, 3, quibus novem locis ex Meiseri silentio *oe* in codice esse colligi potest, et II 85, 4. III 13, 13. 15, 9. 16, 12. 18, 3. 14. 21, 6, quibus septem locis Meiser *prȩlium* invenisse se testatur. In textu Meiser omnibus locis scripsit *proelium,* exceptis duobus: I 2, 1 et 64, 11, ubi errore, ut videtur, *praelium* praetulit.

[2]) Non *aemulos* ac ne *ȩmulos* quidem; nam linea illa curvata, quae primae litterae eius vocabuli a sinistra parte subnexa est, multo longior est quam ut possit credi ea virgula esse, qua adiuncta litterae *e* vis diphthongi *ae* tribuitur. Quamquam quam vim hic illa linea habeat, nescio. Dubitavi an esset transponendi signum; nam *aemulos etiam* recte Acidalius. Sed id prorsus incertum est, quoniam alia eius signi exempla desunt. — Ceterum transponendi remedio haud multae corruptelae codicis probabiliter sanatae sunt: I 18, 7 *exemplo . . . more* Ferrettus, I 79, 3 [*ad*] *Moesiam inruperant,* ⟨*ad*⟩ *novem milia* Acidalius, II 93, 9 *confusus insuper* Gerber, IV 11, 20 *is enim* Doederlein; certis emendationibus Ann. XI 13, 8 *graecam quoque* ed. Froben., XIII 50, 9 *etiam tum populi Romani* Muretus, XIV 12, 22 *mitigata. Tamen* Halm, XV 41, 11 *quo et* Rhenanus.

per errorem irrepserat, corrigendo relegavit? Argumento sunt hi loci: H. II 62, 5 in voc. *gulaę* litteram *a* delevit. Idem eum paullo ante in voc. *luxuriae* et IV 86, 10 in voc. *modęstiae* fecisse Meiserum fugit. Ac similiter Ann XV 31, 7. 53, 11. XVI 23, 7 in voc. *superbiae, fortunae, conciliandae* litteram *a* obliquis lineolis, in voc. *Italiae* XII 65, 3 duobus punctis suppositis extinxit (om. Ritter). Ac si quando *a* scripserat, cum deberet *ae*, numquam *e* adscripsit, sed aut *a* in *ę* (vel *e*) mutavit[1]) aut *ę* (vel *e*) superscripsit[2]).

Itaque is qui Mediceum II exaravit, scriptura *ae* abstinuit. At in eo codice, ex quo suum opus exscripsit, eam scripturam invenit. Id ex genere quodam vitiorum intellegitur, quae prava divisione orta sunt, qualia sunt H. I 1, 20 *qua* (fin. v.) *esentias* = *quae sentias*, 62, 16 *interrita* (fin. v.) *ealitis* = *interritae alitis*, II 22, 14 *cępta et emere* = *coeptae temere*, 49, 7 *gelida* (fin. v.) *eaque* = *gelidae aquae*, Ann. XI 29, 12 *potentia eos temptando* = *potentiae ostentando*, 37, 3 *superbia egebat* = *superbiae gerebat* (quippe mediam syllabam posterioris vocabuli omisit), XII 42, 3 *messalina ememores* = *Messalinae memores*, 69, 13 *proavia* (fin. v.) *ęlibię* = *proaviae Liviae*, XIII 37, 4 *copia econtra* = *copiae contra*, XV 23, 11 *qua efluxa* = *quae fluxa*, 40, 6 *dicata elatius* = *dicatae latius*. Eodem pertinent haec vitia paullo graviora: H. II 14, 2 *audactam e* = *adactae*, Ann. XIV 26, 14 *armenia eunt* = *Armeniae ut*, XIII 2, 3 *potentia et* = *potentiae*, XV 70, 1 *ane* (*e* in fine v. a librario deletam esse Ritterum fugit) *na et* = *Annaei*[3]), XVI 29, 5 *thrasee* (fin. columnae) *avenerabilis* = *Thraseae venerabilis*, prorsus ut II 1 43, 2 *custodię apisonis* = *custodiae Pisonis*.

Idem ex contrario genere vitiorum intellegitur. Saepe enim librarius litteras *ae* in exemplari suo inventas prave contraxit. Scriptum est H. I 34, 3 *quięrat* = *quia erat*, 79, 8 *ademptę quorum* = *adempta equorum*, III 55, 4 *lectę quis* = *lecta equis*, III 17, 13 *arme quosque* = *arma equosque* ac similiter IV 12, 14. V 15, 3; II 100, 1 *Cęcinę* = *Caecina e*, III 55, 3 *secutę* = *secuta e*, IV 50, 10 *massę* = *Massa e*, III 31, 8 *invidię dixit* = *invidia edixit*, Ann. XII 58, 3 *glorię nitesceret* = *gloria enitesceret*, XIV 16, 8 *discordię* (fin. v.) *rueretur* = *discordia frueretur* (littera *f* in *e* corrupta, sicut contrario vitio *frigeret* scriptum est pro *erigeret* H. IV 71, 22), XIV 63, 3 *copertę dicto* = *conperta edicto*, V 17, 8 *contrarie venisse* = *contraria evenisse*. Eodem haec pertinent: H. IV 29, 14 *Inmoenię* (ubi *a* ex *ę* fecit ipse) *egressos* = *in moenia egressos*, V 26, 7 *auctę erant* = *aucta erant*, I 2, 6 *brittannię et* = *Britannia et*, 64, 15 *Italicę* (ipse *ę* in *a* correxit) *et* = *Italica et*, III 65, 3 *invidię et* = *invidia et*, II 21, 9 *invidię* = *invidia et*, IV 83, 21 *donec cędem* = *donec eadem*; quippe c iteravit[4]), litterarum *ea* ordinem invertit; cf. I 43, 6 *in eadem* (*a* puncto supposito ipse sustulit) = *in aedem*[5]),

---

[1]) Id quidem fecit in voc. *modestia* I 30, 1, *Galba* I 45, 7, *corrupta* II 76, 32, *Gallica* IV 12, 7, *petrina* IV 49, 10, *germania* IV 70, 7, *męsta* IV 72, 13, *ferocia* Ann. XIII 21, 6, cf. H. III 60, 2, ubi cum *aquilas* scripsisset, nominativum non *s* in *e* mutando effecit, sed delendo litteram *s* et *a* in *ę* corrigendo.

[2]) I 52, 20 *fortuna*, Ann. XI 5, 2 *audacia*, XIV 63, 1 *socianda*, cuius vocabuli correctio a Rittero iniuria Puteolano tribuitur.

[3]) *i* in *t* corruptae cum multa exempla sunt tum H. IV 63, 3 *ingenti* = *ingenii*. Sic Agricola; minus bene Rhenanus *ingenita*; cf. Ann. XV 52, 14 *ingentum* = *ingenium*

[4]) Eadem geminatione litterae *e* ortae sunt corruptelae H. III 72, 19 *C. norbanacos* = *C. Norbano consulibus* et Ann. XII 5, 1 *uerania cōs* = *Veranio consulibus*. Scilicet ex *o* et *c* litteris coniunctis orta est littera *a*.

[5]) Eiusdem vitii exemplum est I 7, 13. ubi ex *p̄minuit lā* Bezzenberger effecit *parem invidiam*, quam emendationem Meiser iniuria sprevit (nam quod ille aut simpliciter *invidiam adferebant* aut certe *perinde invidiam adferebant* dicendum fuisse dicit, Tacitus similiter scripsit III 36, 6 *praeterita instantia futura pari oblivione dimiserat*). Quippe librarius *par*, quod in archetypo invenerat, transponendo litteras mutavit in *prae*

Ann. XIV 32, 22 *avaritię In* = *avaritia e⟨ius⟩ in*. XI 2, 4 in litteris *poppe ac* latet *Poppaeae*, unde XVI 33, 6 ex *ępaconius* eruendum esse *ac Paconius* olim conieci.

Reliqua sunt pauca illa litterarum *ae* exempla, quae quoniam a vulgaribus differunt, ex reliquorum multitudine segregata ad exitum huius disputationis reservavi. In eorum numero non est ponendum *raptisae* illud, quod priores H. I 63, 3 legere sibi visi sunt; ibi enim non *ae*, sed *te* in codice scriptum esse in priore huius libelli parte p. 13 docuimus. Quid quod nunc addere licet etiam ob id ipsum suspectum videri necesse esse id quod priores de hoc loco tradiderunt, quod litteras *a* et *e* coniunctas ibi inveniri adfirmaverunt? Hoc loco secluso supersunt quinque loci, de quibus deinceps disserendum est. 1. Ann. XII 5, 4, de quo loco parum accurate Ritter tradidit, in voc. *filia* post *a* rasura est, in qua reliquiae superioris partis litterae e dispiciuntur; litteram *a* autem nescio quis puncto supposito notavit. Quippe librarius cum *filiae* scripsisset, in corrigendo errore (nam *filię* scribendum fuit) erravit. Debebat extinguere litteram *a* (sicut eam extinxisse videtur in voc. *aestuaria* XI 18, 9, ubi in initio vocabuli ante e rasura est), extinxit litteram *e*; is autem, qui litteram *a* puncto sustulit, litteram e non restituit, ratus, ut opinor, sufficere reliquias eius litterae, quae adhuc conspiciuntur. 2. Ann. XII 16, 9 incerta est lectio. Ritter a librario *educta eque* scriptum esse dicit. Quod si verum est, hic locus plurimis illis exemplis pravae divisionis, quae supra attulimus, similis est. Posterior manus inter e et *q* dividendi signa posuit eademque, si Ritteri ratio vera est, litterae *a* dextram partem usque ad sinistram partem litterae e produxit. Sed hoc dubium; ego enim in ea littera, quae sequitur litteras *ct*, nullum vestigium recentioris manus animadverti. Iam vero si librarius ipse totam illam litteram scripsit, non scripsit *a*, sed *t*, cuius litterae forma a forma litterae *a* eo differt, quod ad sequentem litteram recta linea pertinet (cf. tabulam priori huius libelli parti adnexam No. 4 *usurpatam*). Itaque sive librarium *eductteque* sive *educta eque* scripsisse credimus, certe ne hic quidem locus ei legi quam constituimus refragatur. 3. Ann. XI 14, 16 confitendum est ita scriptum esse *oblitteratae*, ut de litteris *a* et e in exitu vocabuli nulla dubitatio sit. At cum ingens sit copia locorum, quibus librarius consuetudinem suam loco litterarum *ae*, quas in archetypo invenerat, ę (vel *e*) scribendi constanter retinuit, hic unus locus, quo ab illo more discessit, errori tribuendus est, sive moris sui immemor fuit[1]) sive ex initio sequentis vocabuli (*aspiciuntur*) litteram *a* praecepit. Nam duo qui restant loci diversi generis sunt. 4. H. III 77, 16 quomodo in fine paginae scriptum esset nomen urbis *Tarracinae*, bene exposuit Meiser, nisi quod non

---

idque solito compendio expressit. Alia transpositarum litterarum exempla sunt I 2, 5. 51, 14. II 14, 17. III 58, 22. IV 11, 1. 42, 13. 47, 7. 81, 3. Eadem transpositione, una littera inserta, Halm III 65, 6 ex *piuvisse* effecit *parce iuvisse* probabilius quam aut Doederlein *prave iuvisse* aut *parum iuvisse* Bipontini.

[1]) Quamquam id quidem aegre adducor ut imputem homini legum suarum tenacissimo, qui ne id quidem concedam H. II 21, 10, ubi in voc. *atrociora* litterae *r* ante *a* ea forma est, quam in exitu vocabulorum conspicere solemus, scribam moris sui fuisse immemorem. Immo *atrocior* scripsit neglecta littera *a*, quam cum eiusdem vocabuli esse intellexisset, sero addidit. Nec divinari potest, quid I 82, 1 post voc. *Palati* erasum sit. Nam litteram *i* quominus erasam esse credamus (id quod Meiser suspicatur) obstat forma litterarum *ti*, quae seiunctim scriptae sunt. At in scribendis litteris *st*, quae uno ductu continentur, confitendum est librarium paucis locis moris sui esse oblitum, non I 12, 10 *militis tulta* = *multi stulta*, IV 53, 1 *uestinum* (cf. Meis.), IV 53, 16 *magistratus* (ubi *s* post *i* addidit librarius), II 19, 10 *ostendens* (cf. Meis.), IV 34, 11 *os* (fin. v.) *tentati*, ubi separatio litterarum ex gravi corruptela (primo loco) aut correctione (secundo, tertio, quarto loco) aut prava divisione (quinto loco) originem traxit, sed II 32, 7. III 10, 20. 27, 5. Ann. XIII 32, 3, ubi *destineri*, *stricto*, *distingueret*, *testamento* separatis inter se litteris *st* scripsit.

dicit litteras *a* (cuius ea figura est quae frequens est in fine versus, qualis est cum alias tum in nota marginali I 13, 13, ubi *adu* adscriptum est; v. tabulam No. 10) et *e* ita inter se copulatas esse, ut unam hastam communem habeant, eam scilicet, quae et dextra est litterae *a* et sinistra litterae *e*. Sed quoniam talis copulationis praeter hoc unum nullum exemplum est, ne hoc quidem agnosco, praesertim cum III 76, 2 solito more scriptum sit *terracinę*, sed *a* in *e* mutatum esse reor, quod saepe librarius ita fecit, ut sinistram partem litterae *a* integram relinqueret. 5. Similis nec tamen idem aspectus est ultimi loci, qui est H. II 88, 9. Ibi quid post *insolens* in fine versus scripserit librarius, incertum est. Ritter *contumeliam* (i. e. *a* adiuncta nota litterae *m*) legit, Meiser *contumeliae* copulatis inter se litteris *a* et *e*, sicut easdem litteras III 77, 16 in voc. *Tarracinae* inter se copulatas esse arbitratus est nec tamen dixit. Neutri lectioni aspectus loci ita favet, ut probabilis, nedum certa dici possit. Meiseri lectio etiam ob id ipsum displicet, quod copulationem litterarum *a* et *e* admittit. Nec quidquam opis adfert littera *e* extra spatium versus vocabulo adscripta: forma enim eius recentiorem manum arguit. Fortasse nec Ritter nec Meiser recte legit; potest enim conici id quod adnexum est litterae *a*, esse notam syllabae *rum*, etsi a ceteris eius compendii exemplis (velut ab eo, quod est IV 13, 5 in fine versus in voc. *irarum*) aliquatenus differt. Sed utut haec sunt, Tacitum hoc loco *contumeliarum* scripsisse, id quod Ritter repperit, persuasum mihi est, sive id ipsum librarius scripsit sive *contumeliarum* corrupit in *contumeliam* (sicut II 84, 12 *pecuniam* scripsit, cum scribendum esset *pecuniarum*) sive aliud quid scripsit. Nam ex quattuor adiectivi *insolens* cum genetivo coniuncti exemplis, quae apud Tacitum praeter hunc locum reperiuntur, simillimum est Ann. VI 34, 4 *Parthi contumeliarum insolentes*; conspirant reliqua: H. I 87, 17 *bellorum insolens*, III 53, 3 *obsequii insolens*, Ann. XV 67, 14 *audiendi . . . insolens*, in quibus cur modo singularem, modo pluralem numerum praetulerit, perspicuum est.

Haec habui quae dicerem de scriptura litterae *ae*, quam exceptis paucissimis quibusdam locis dubiis unam eandemque eamque simplicem esse docui. At nulla constantia est in scriptura litterae *oe*, quae, ut id dicam, quod in universum iudicanti dicendum est, quo vulgarius est vocabulum, eo saepius *ę* (vel *e*) scribitur, quo rarius, eo saepius duabus litteris significatur. Igitur in nominibus propriis constanter duae litterae *o* et *e* scriptae sunt. Ex his frequentissimum est nomen provinciae *Moesiae* et adiectivum *Moesicus*. H. III 46, 5 *emo* in fine v. et *esia* in initio novi versus scriptum esse iam in priore huius libelli parte p. 6 adnotavimus; cf. *Soho-emo* Ann. XIII 7, 7. *Coei* (XII 61, 2) et *Oeensium* (H. IV 50, 18. 20) nomina corrupta sunt, *Oeensium* nomen ita, ut in archetypo utramque litteram extitisse ipsa depravatio doceat. In quibusdam tamen nominibus propriis loco litterarum *oe* inveni *ę* vel *e*: *pęnos* = *Poenos* H. IV 50, 5, *plenus* Ann. XVI 1, 2 (*pęnis* XV 13, 9); *pęnnis* H. I 61, 5 = *Poeninis*, *fenicum* Ann. XI 14, 6 = *Phoenicum*, *fenissam* XVI 1, 10. *Phebo* XVI 5, 17. Ex nominibus appellativis vocabulo *moenia* duae litterae tribui solent; inveni tamen aliquotiens *męnia* vel *menia*. Etiam *amoenus* et *amoenitas* utramque scripturam habent itemque *coetus*. At vocabulis *coeptum, coeptare, coepere* et quae sunt similia, *poena, foedus* (et adiectivo et substantivo) numquam duae litterae datae sunt, nisi quod XI 31, 16 scriptum est *coeperat*[1]). H. II 63, 14 Meiserum falso legisse *alioeno* ligatis inter se litteris

[1]) H. II 50, 7, ubi in Mediceo est c *pti*, i. e. *coepti*, Halm falso coniecit *incepti*, praesertim cum extrema littera antecedentis vocabuli (*gravitatem*) librarii manu deleta sit.

o et *e* ac re vera *o* in *e*, i. e. *alio* in *alieno* a librario correctum esse iam in priore parte p. 18 dixi. Nunc addo XV 30, 2 litterae *e* in voc. *quotiens* ex *o* correctae prorsus eandem esse speciem. II. III 84, 26 *pone* corruptum est in *poene*, I 77, 10 *Caelio* in *coelio*. De scriptura vocabuli *proelium* supra disputavi atque in eo numquam litteras *o* et *e*, uno tamen loco *pro* (hoc per compendium scriptum) *elium* inveniri dixi.

Eis quae de scriptura litterae *oe* disserui, unum addendum est. In extrema parte Historiarum quinquies sub finem libri quarti, septies in libro quinto in parte eorum vocabulorum, quae plerumque simplici scriptura litterae *oe* utuntur, scriptum est non *ę* nec *oe* nec *e*, sed *e* adnexa ab inferiore parte parvula figura litterae *o* simillima. Horum duodecim exemplorum unum adnotavit Meiser: IV 76, 14 *foederibus*. Reliqua haec sunt: *foedera* IV 67, 12 (in textu *soedera*, ut videtur, in margine *foe*), *Poeninis* 68, 21, *foedera* 69, 11, *foederis* 77, 17, *foedaret* V 3, 2, *foeda* 5, 2, *foenices* 6, 2, *recoeptantem* (i. e *coeptantem*) 10, 3, *moenia* 11, 19, *poena* 25, 17, *coepit* 26, 5. Hanc litteram distinguendam esse a solita figura litterae *ę* et ipsa discrepantia formae docet et quod in eis tantum vocabulis reperitur, in quibus est *oe*, non in iis, in quibus est *ae*. Velut V 25, 17 scriptum est *poena penitentiam*. Nec tamen haec scriptura in illa extrema Historiarum parte omnia vocabula, quae *oe* habent, occupavit. Nam, ut uno exemplo utar, cum V 26, 5 scriptum sit *coepit*, duobus versibus post legitur *cępta*. Maxime vero mirum, quod exempla huius scripturae intra ultimam partem Historiarum continentur nec ullum aut in Annalibus aut in ea parte Historiarum extat, quae sexagesimum septimum libri quarti caput praecedit[1]).

Pauca addo de rebus orthographicis. II 100, 4 codex habet *duo et uicesima* (nam litteram *n*, quam ante *c* scripserat librarius ipse obliqua lineola delevit), III 50, 13 *optumus* (Ritter et Meiser *optimus*; II 39, 13 in codice est *optinum*), V 19, 2 *decuma* (sic Ritter; Meiser *decima*), IV 86, 2 *lugdunum* (sic Ritter; Meiser *Lugudunum*), IV 20, 3 *adversus* (sic Meiser; Ritter *adversum*). *Nunquam* in codice scriptum esse Meiser adnotavit III 37, 13, non adnotavit II 32, 19. 38, 10. 97, 4. III 46, 5. IV 14, 18. *Unquam* scriptum est IV 23, 3. 38, 11. 43, 4. 73, 2.

---

[1]) Etiam alia res ultimae partis Historiarum propria est. Nam in posteriore pagina folii 102, quae incipit a vocabula *magis* V 16, 9, et in priore pagina folii 103 usque ad versum undecimum posterioris columnae, in quo medio est vocabulum *versicoloribus* V 23, 5, vetus aliquis vir doctus antiquam scripturam vetustate ac pallore extinctam haud dissimilibus nec tamen prorsus eisdem litteris — discrepant maxime figurae litterarum *d* et *r* — ita contexit ac renovavit, ut, quoniam non omnibus locis litterae litteris teguntur, prior scriptura interdum, ac maxime quidem in exitu versuum, conspici possit. Adnotandum est priscam scripturam in voc. *sexta* V 16, 14 litteram *a*, ut videtur, in *e* correctam, nec V 17, 1 et 3 *pugne* et *glorie*, sed *pugnę* et *glorię* praebuisse. 19, 9 habuit *quę*, non *que*; 20, 2 in voc. *quadripertita* ultimae litterae superscripta fuit *o*, quae emendatio Ernestio tribui solet. 22, 20 primitus *lupia* scriptum fuisse recte dicit Meiser; quin etiam nunc quoque *l* potius est quam *I*. 17, 9 in voc. *preuise*, quod scripsit manus multo etiam recentior, quam illa est, quae librarii scripturam renovavit (eadem in margine addidit *p̄uise*) dispici potest initium priscae scripturae, in qua librarius compendium syllabae *pro* in compendium syllabae *prae* mutavisse videtur. Easdem corruptelas prior scriptura, quas posterior habet, habuit in voc. *praevectos* 16, 16, *silentem* 17, 1 (si modo corruptela subest), 22, 11 *ornati*, 22, 15 *alibi nave egerat*.

Index eorum locorum, de quorum scriptura in priore (I) aut posteriore (II) parte huius libelli disserui.

Druck von W Pormetter in Berlin.